quod ampliſſimis invitabantur ab Innocentio IX. conditionibus, ſequi voluiſſent: ne tamen aliquo modo fœdus violarent, pertinaciter ab omni injuria abſtinuerunt. *Sabel.lib.3. Dec.4.*

Eo tempore, quo inter Genuenſes Venetoſque bellum gerebatur, atque induciis factis belli mala ſuſpenſa manebant, in quatuor Genuenſium triremes haud longè à Græciæ litoribus quatuor Venetæ irruerunt: Genuenſes virtute ſua tuti, triremes Venetas ceperunt: & cum calente adhuc prælii ardore, ſimulque indignatione, quòd in induciis illata eſſent arma, præterea vulnerum, quæ acceperant, dolore compulſi, ſævire haud injuria in captos poſſent, ipſorum iram induciarum fides leniit. Itaque ſolum triremium præfectum retinuerunt, alios cum triremibus dimiſerunt. Cùm autem Meſſanam in Siciliam perveniſſent, triremium præfectum, quem captivum habebant, conſuli Veneto tradiderunt, ut is Venetias eum mitteret, ubi erroris ſui pœnas dare cogeretur. *Fulgoſ.l.6. cap.6.*

Genuenses poſt longum ac grave bellum, quo inter ipſos & Venetos tertiò decertatum fuerat, ubi auri atque ſanguinis vis immenſa effuſa eſt, cùm occaſio ſe obtuliſſet, magno ſuo commodo, rei feliciter adversùs Venetos gerendæ: fidem, inita paulò antè pace, Venetis datam, commodis dolorique acceptorum in bello malorum antepoſuerunt. Nam Cretenſes, Venetique, qui Cretam incolebant, conſpiratione facta, à Venetis defecerant, ac Genuam legatos viros graviſſimos miſerant, qui inſulæ deditionem facerent. Ea autem expeditio, etſi nullius periculi, magnique commodi futura videbatur, minoremque ob cauſam, finitum paulò antè bellum, adversùs Venetos ſuſceptum fuerat, tamen legatis reſponderunt: Vehementer dolere, quòd integra fide, ob pacem cum Venetis factam, ea quæ Cretenſes offerebant, accipere non poſſent, quanquam adeò recèns ea pax confecta eſſet, ut multi vulnera, quæ eo bello acceperant, nondum ad cicatricem perduxiſſent. *Idem.*

Albertus Auſtriæ dux hoſtem contra fœdus capere non vult.

☞ *Vide Tit. Regnandi libido ambitioſa.*

## COMMEATU JUVANDO.

M. Brutus Dyracchio Appolloniam contendens, in magnum diſcrimen ex fame canina venit. Nix alta erat, & qui commeatus portabant, nemo ſequebatur. Cùm igitur ille animo deficeret, & animam ageret, neceſſariò milites ad muros accurrerunt, panem poſtulatum ab hoſtibus, qui illic ſtationem agebant. Quo ſtatim accepto Brutum refecerunt. Qua de cauſa urbe potitus, clementer habuit omnes. *Plutarc. lib.6. Quæſt. conviv.8.*

## LEGATOS, AMICOS, OBSIDES, Hoſtium non violando.

☞ *Honor Legatis exhibitus, ad diſtributionem ex virtute pertinet. Inde igitur petenda exempla.*

Porsena Hetruſcorum rex Tarquinium fruſtra Romam reducere ſtudebat. Tandem pace facta, ut agro Romani decederent olim Hetruſcis circa flumen adempto, datæ fuerant obſides Romanæ virgines. Quæ cùm Tiberim tranaviſſent, & à P. Valerio Coſſ. ad Porſenam reducerentur, Tarquinius iis inſidias poſuit, fuiſſentque Valerius & comites violati, ni Aruns Porſenæ filius, cum Hetruſcorum equitum globo præſtò affuiſſet. Id facinus adeò iniquo animo tuliſſe Porſena dicitur, ut confeſtim Tarquinium, cum filiis, & genero, auxiliiſque Latinis, excedere juſſerit caſtris, & non pacem ſolùm, ſed amicitiam quoque cum Romanis initam, ut omni officii genere confirmaret, caſtra omni genere commeatuum referta Romanis habenda reliquit. *Sabel.lib.7. Enn.2. ex Livio.*

Tarquinii regis legati, quamvis proditionis initæ rei, tamen liberè dimiſſi à Romanis. *Livius.*

P. Scipio Africanus Major, cum onuſtam multis & illuſtribus Carthaginenſium viris navem in ſuam poteſtatem redegiſſet, inviolatam dimiſit, quia ſe legatos ad eum miſſos dicebant; tametſi manifeſtum erat, illos vitandi præſentis periculi gratia falſum legationis nomen amplecti, ut Romani Imper. potiùs decepta fides, quàm fruſtrà implorata judicaretur. *Val. Max.lib.6.c.6.*

Ingenti Pœnorum claſſe circa Siciliam deducta, duces ejus fractis animis, conſilia petendæ pacis agitabant. Quorum dux Amilcar ire ſe ad conſules Romanos negabat audere, ne eodem modo catenæ ſibi injicerentur, quo ab ipſis Cornelio Aſinæ conſuli fuerant injectæ. Hanno autem certior Romani animi æſtimator, nihil tale timendum ratus, maxima cum fiducia ad colloquium eorum tetendit. Apud quos cùm de bello fine ageret, & tribunus militum ei dixiſſet, poſſe illi meritò evenire, quod Cornedio accidiſſet, uterque Conſul, tribuno tacere juſſo: Iſto te (inquit) metu Hanno fides civitatis noſtræ liberat. Claros illos feciſſet, tantum hoſtium ducem vincere potuiſſe: ſed multò clariores fecit, noluiſſe. *Ibidem.*

Augustus M. Antonio hoſti judicato remiſit neceſſitudines, amicoſque omnes, atque inter alios C. Soſium, & T. Domitium, tunc adhuc Coſſ. Bononienſibus quoque publicè, quòd in Antoniorum clientela antiquitùs erant, gratiam fecit conjurandi cum tota Italia pro partibus ſuis. *Suetonius.*

Araldos ſeu caduceatores vel dicto violare nefas eſt, qui Gallico more ſuperbè admodùm & ſumma quadam dicendi libertate mandata deferre, & bella hoſtibus denunciare impunè ſolent. *Iovius lib.2. Hiſt.*

Præco Ludovici XII. Gallorum regis Veneris anno 1507. bellum indixit. Senatus porta devia in veſtibulo curiæ eum admiſit. Admiſſus, veſte liliis aureis intertexta ſeſe induit: tum curiam ingreſſus, ante Patrum ſubſellium ſtans: Bellum, inquit, Lauredane Venetorum dux, cæterique hujus urbis cives, Ludovicus Gallorum rex indicere me vobis juſſit, tanquam infidis hominibus, Pontificiſque Max. & reliquorum regum oppida per vim perque injuriam capta poſſidentibus, omniumque omnia dolo malo ſub veſtram ditionem rapere atque redigere feſtinantibus: ipſe ad vos armatus ea repetiturus venit. Ad hæc Lauredanus Patrum medius ſua in ſella ſedens ita reſpondit: Res hæc publica, Galle, quam adiiſti, nihil injuſtè poſſidet; nam jure agit, neque fidem cuiquam fallit, quam certè fidem niſi valdè plus juſto regi ipſi ſervaviſſemus tuo, ille verò ubi pedem in ſuo poneret, in Italia non haberet. Sed præſtat, nos vel cum periculo eſſe qui ſemper fuimus, dum Ludovicus æquè arrogantia atque perfidia polleat. Bellum quod denuncias, propulſaturi cum diis immortalibus ſumus, quos ille vindices habiturus eſt, aut hìc, aut apud manes, rupti per ſcelus fœderis. Hoc reſponſo accepto eſt dimiſſus: ac ne quis eum violaret, quos itineris comites à Reip. magiſtratibus adveniens habuerat, iidem ſunt reducere, atque in regis finibus ſiſtere illum juſſi. *Bembus lib.7. Hiſt. Venetæ.*

Matthias Corvinus Ungariæ rex, cum Georgio Boemiæ rege ſocero ſuo, quem Crucesignatorum armis in ſummas redegerat anguſtias, in civitate Olumenſi colloquium inſtituerat. Eò cum Georgii duo filii, Victorinus & Henricus, humanitatem & fidem Matthiæ ſecuti, ſeſe contuliſſent: Rodolfus legatus Pontificius regem hortatus eſt, ut captis his, quibus reditum non eſſet pollicitus, præſertim hæreticis, ancipiti bello finem imponeret, quòd Georgii ſpes omnis ex filiis penderet. Tum verò Matthias torvo vultu ſceleratum conſilium deteſtatus, fidem ſuam non Boemiæ modò, verùm etiam totius terrarum orbis imperio ſibi antiquiorem eſſe dixit; & ut à ſimilibus conſiliis deinceps abſtineret, edixit. *Ioach. Cureus in Sileſiæ Annalibus.*

## SECRETA DICTA FACTAVE non rimando.

☞ *Conſule Tit. Humanitatis erga hoſtes.*

Athenienses Philippi captis tabellariis, hoſtis ſui, cæteras literas legerunt, ſolam epiſtolam Olympiadis non ſolverunt, ſed bona fide obſignatam ei remiſere. *Plut. in Demet.*

Cn. Pompejus Magnus, cum Sertorii literas in Hiſpaniis intercepiſſet, in quibus erant incluſæ complurium ducum epiſtolæ, Sertorium ad novandas res, ſtatumque civitatis immutandum Romam invitantium: excuſſit omnes, deferens ſilentium hoſtium litteris; quo docuit, quantum ſit crimen, alienas reſignare litteras: aut quod tibi per litteras obſignatas creditum eſt, ſub dium efferre. *Plut. in Rom. Apophtheg.*

## VICTOS CLEMENTER TRACTANDO.

Polydorus cùm proſperè contra hoſtes pugnaſſet, hortabantur eum ſocii & milites, ne eam opportunitatem præteriret, ſed aggreſſus hoſtium muros, civitatem illorum caperet: Id enim factu fore facillimum, quum interfectis viris, ſolæ mulieres eſſent reliquæ. His reſpondit Polydorus: Mihi pari Martis alea rebellantes devincere honeſtum eſt. Cæterùm quum pro agris pugnarim, urbem velle capere, non arbitror eſſe juſtum. Siquidem huc veni agros recepturus, non urbem occupaturus. *Plut. in Lacon.*

Pop. Romanus, cùm P. Claudius Camerinos, ductu atque auſpiciis ſuis captos, ſub haſta vendidiſſet, etſi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat, tamen quia non parùm liquida fide id egeſtum ab Imperatore videbatur, maxima cura conquiſitos redemit, hiſque habitandi gratia locum in Aventino aſſignavit, & prædam reſtituit: pecuniam etiam non ad curiam, ſed ad ſacraria ædificanda, ſacrificiaque facienda tribuit: juſtitiæque promptiſſimo tenore effecit, ut exitio ſuo lætari poſſent, quia ſic renati erant. *Val.lib.6.c.5.*

Turcicæ claſſis præfecti, quum anno 1537. Caſtrum, oppidum octo millibus paſſuum ab Hydrunte ſitum, contra datam fidem diripuiſſent, & captivos oppidanos in claſſem deduxiſſent: Solymanus Imper. expiandam omninò eſſe ejus patrati facinoris infamiam putavit, generoſoque animo, quos comperit maleficii auctores fuiſſe, ſupplicio affecit, & Caſtrenſes captivos omnes diligentiſſimè perquiſitos, impoſitoſque navigiis, ad Penates ſuos reduci juſſit. *Iov. lib.36. Hiſt.*

Belchiarochus Sultanus Turcarum V. Romanum Diogenem Imperatorem Bizantinum prælio vicit & cepit, A. C. 1071. ante pedes ſuos proſtratum erexit, atque ut fratrem amplexus eſt, hujuſmodi verbis ſolatus: Noli mœrere Imperator: Hæc enim eſt rerum humanarum viciſſitudo, ut belli fortuna modò hos, modò illos deprimat, alios verò extollat: tu multa bella præclarè geſſiſti, ſemper virtus & fortitudo tua celebrabitur: modò te in adverſis non minùs fortem præbeas, quàm in ſecundis prudentem: à me tamen non ut captivus, ſed ut Imperator tractaberis. Statimque ei tabernaculum ornatiſſimum attribuit, & miniſtros ac reliqua omnia, quæ Imperatorem decent, & menſæ adhibitum juxta ſe collocat, captivis, quoquot peteret, redditis: & ſic per dies aliquot cum eo verſatus & collocutus, pace perpetua ſancita, promiſſaque affinitate inter liberos ipſorum contrahenda, Diogenem cum magno comitatu & honore dimiſit, barbarica etiam veſte ornatum. *H. Henningens in Geneal.*

## DEDITIS PARCENDO.

Phaliscorum civitas aliquoties rebellando, ſemperque adverſis contuſa præliis, tandem ſe Q. Luctatio Coſſ. dedere coacta eſt. Adversùs quam ſævire cupiens pop. Rom. poſtquam à Papyrio, cujus manu jubente Coſſ. verba deditionis ſcripta erant, doctus eſt, Phaliſcos non poteſtati, ſed fidei ſe Romanorum commiſiſſe: omnem iram placida mente depoſuit, pariterque & viribus odii non ſanè facilè vinci aſſuetis, & victoriæ obſequio, quæ promptiſſimè licentiam ſubminiſtrat, ne juſtitiæ ſuæ deeſſet, obſtitit. *Val. Max.lib.6.c.5.*

Titus Imper. Judæorum quibuſdam, qui in extremo excidii Hieroſolymitani tempore ad ſe confugerant, veniam dedit quamvis neceſſitate, non voluntate eos veniſſe ſciret, plus fidei quàm iracundiæ tribuens. *Ioſephus lib.7. cap.9. belli Iud.*

Saladinus Ægyptius, qui Hieroſolymitanum regnum Chriſtiano nomini tandem univerſum abſtulit, quum munitiſſimum caſtellum à Chriſtiano homine ejus præſide recepiſſet, qui diu ab eo obſeſſus, multaque pericula paſſus, tandem ingenti fame coactus deditionem fecerat; ea conditione accepit, ut ipſe cum ſuis omnibus inde abiret. Saladinus eum non ſolùm incolumem cum reliquis omnibus eſſe voluit, ſed & inter familiares aſcivit, & abjurare Chriſtianæ fidei ſacramenta volentem, ampliſſimis ornatum muneribus dimiſit. *Egnat.lib.6.c.6. & Aemilius.*

Magnus Consalvus, & ſummæ prudentiæ & moderationis eximiæ laudem ex ea pactione, cum Gallis dedita Cajeta dimiſſis inita, conſecutus eſt, utpotè qui vel in multa ſpe opulentioris victoriæ militum ſuorum ſanguine abuti noluerit, ratus omninò parcendum eſſe deditis, qui virtutis & clementiæ ſuæ teſtes Conſalvi nomen in provinciis celebrarent: tantam verò, ut inviolati, benignèque habiti dimitterentur, curam diligentiamque adhibuit, ut qui Helvetio prætereunti Hiſpanus miles torquem rapaci manu detrahere conaretur, re cognita, Hiſpanum vel in mare fugientem perſequutus, adacto equo ſua manu graviſſimè vulneravit. *Iovius in Conſalvo.*

Quum Galli Hiſpanos Baroli obſiderent, atque æmulatione virtutis utrinque ſæpè certaretur, neceſſe erat, ſingulis propè diebus multos capi ac interfici, quòd plerumque diſpoſitis inſidiis, & nonnunquam apertis in campis, ex occurſu juſta penè acie dimicarent. In redimendis autem permutandiſque captivis, crebræ contentiones, querelæque utrinque ducum & militum animos exagitabant, quum æquo ſæpè gravius precium captivis imponeretur; neque ullos unquam pares oblata permutatione, militaris avaritia reperiret. Quibus contentionibus obviam eundum ratus Conſalvus Magnus Hiſpanorum dux, cum Namurcio Gallorum Imp. egit, preſcriptis legibus, ut gregario pediti menſtrui ſtipendii, & trimeſtris equiti pretio libertas conſtaret: cohortium autem præfecti atque ſigniferi ſemeſtris ſtipendii ſumma multarentur: annum porrò legatus alæ perſolveret: cæteri doctores ex ordine nobilium, ſi caperentur, ex ſummi ducis arbitrio precium penderent. Edixit autem, ſeverèque ſingulos duces admonuit, ut benignè ac liberaliter captivos cuſtodirent. Hoc enim ad famæ decus requirebat, ut Hiſpani non virtute tantùm Gallos, ſed humanitate & munificentia ſuperare niterentur. *Iovius in Conſalvo.*

Galli ab Ludovico Sforcia obſeſſi, Novariæ defenſionis ſpe amiſſa, incolumes cum rebus ſuis abeundi fide accepta, urbem dediderunt. Qua ille fide, etſi, quòd illorum militum cædes magni ad victoriam momenti eſſet, à multis, qui, ſi magnorum virorum auctoritate & exemplis, imperii augendi gratia fidem violare liceret, multò magis conſervandi licere ajebant, ad frangendam impelleretur, conſtanter ſervata Vercellas uſque comitatos, incolumes dimiſit. *Guicciardinus lib.4.*

Solymannus expugnata Rhodo inſula, conventiones quas de deditione cum Philippo Villadamo Gallo, Rhodienſium equitum Magiſtro, iniit, religioſiſſimè ſervavit: prætereà res divi Joannis templo ſacras ne attigit quidem, à quibus noſtri milites vix abſtinuiſſent. Quum enim triginta millibus hominum comitatus Rhodum eſſet ingreſſus, ne unum quidem verbum eſt unquam ex alicujus ore auditum; adeò ut milites per urbem incedentes, monachi Obſervantes, quos vocant, eſſe viderentur. *Iovius in vita Solymanni.*

## DEDITOS DEFENDENDO.

Callicratidas claſſis præfectus, à Lyſandri amicis ſollicitatus, ut quendam ex inimicorum numero permitteret ipſis interimere, & acciperet talenta quinquaginta: tametſi vehementer opus haberet pecuniis ad ſolvendum nautis ſtipendium, plus tamen valuit in hoſtem pietas, quem ſalvum eſſe cupiebat, quàm pecunia, in ſumma etiam rerum penuria. *Plut. in Lacon. apoph.*

## DEDENDO SE HOSTIBUS.

Miltiades coloniam ducens in Cherſonneſum, cùm acceſſiſſet Lemnum, & incolas ejus inſulæ ſub poteſtatem redigere vellet Athenienſium, idque Lemnios ſua ſpontè facere poſtulaſſet: illi irridentes, reſponderunt: Tum id ſe facturos, cùm ille domo navibus proficiſcens, vento Aquilone veniſſet Lemnum: Hic enim ventus à ſeptentrionibus oriens, adverſum tenet Athenis proficiſcentibus. Miltiades morandi tempus non habens, curſum direxit, quò tendebat: pervenitque Cherſonneſum. Ibi brevi tempore Barbarorum copiis disjectis, tota regione, quam petierat, potitus eſt. Cherſonneſo conſtituta, Lemnum revertitur: & ex pacto poſtulat, ut ſibi urbem tradant. Illi enim dixerant, cùm vento Borea domo profectus, eò perveniſſet, ſeſe dedituros. Se autem domum Cherſonneſi habere. Cares qui tum Lemnum incolebant, & ſi præter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, ſed ſecunda fortuna adverſariorum capti, reſiſtere auſi non ſunt, atque ex inſula demigrarunt. *Probus in Miltiade. At Herodot.lib.6.* aliter recenſet hiſtoriam.

☞ *Vide Titulum, Oracula famis vel ſiccitatis ambiendæ.*

## E CARCERIBUS NON FUGIENDO.

Erant Venetiis in urbana perliberali cuſtodia, & alibi, Maximiliani I. Imp. ad aquæ Martinianæ pontem, ſex Præfecti capti: eorum quinque noctu, cuſtodibus in cœna occupatis, tenui perrupto muro, ad aquam ſe nullo ſtrepitu contulerunt: cymbaque clàm ad biremem à ſuis paratam vecti, in ea Tergeſte perfugerunt. Uni, ut fugeret, perſuaderi non potuit, ne fidem, quam unà cum reliquis Reip. dederat, ſe non abiturum, falleret. *Bemb.lib.10. Hiſt. Venetæ.*

## REDEUNDO IN CARCERES.

Legati Rom. ad Pyrrhum de captivis redimendis venerunt, atque inter eos C. Fabricius. Cujus virtutibus variè exploratis, ita motus eſt Pyrrhus, ut captivos unius illius fidei crediderit hac lege: Si pacem abnuiſſet ſenatus, ut ſalutatis propinquis, & Saturnalibus celebratis, ad ſe remitterentur. Id quod peracto feſto factum eſt. At ſi quis remanſiſſet domi, in eum ſancivit ſenatus mortem. *Plut. in Pyrrho.*

M. Attilius Regulus ex victore ſpecioſiſſimo, inſidiis Haſdrubalis, & Xanthippi Lacedæmonii ducis, ad miſerabilem captivi fortunam deductus, ac miſſus ad S. P. Q. R. legatus, ut ex ſe uno, & ſene, complures Pœnorum juvenes penſarentur: in contrarium dato conſilio, Carthaginem petit non ignarus ad quàm crudeles, quàmque etiam meritò ſibi infeſtos deos rever-

reverteretur: verùm quia his juraverat, ſi captivi eorum redditi non forent, ad eos ſeſe rediturum. Potuerunt profectò dii immortales efferatam mitigare ſævitiam: cæterùm quò clarior eſſet Attilii gloria, Carthaginenſes moribus ſuis uti paſſi ſunt, tertio Punico bello religioſiſſimi ſpiritus tam crudeliter vexati, urbis eorum interitu, juſta exacturi piacula. *Valer. Max. lib.1.c.1. Silius lib.6. Cic.lib.3. de Offic.*

Decem illi (quos poſt Cannenſem pugnam juratos ad Senatum miſit Hannibal) maximè ob fidem ſervatam laudandi ſunt. Ex decem enim nobilibus qui tum erant miſſi, novem reverſi ſunt, à Senatu re non impetrata. Unus verò ex decem, quaſi aliquid eſſet oblitus, in caſtra reverſus, & poſtea diſcedens, juramento ſe ſatisfeciſſe putabat: Sed fraude à Romanis intellecta, veteratorem callidum victumque ad Hannibalem duci, ut pœnas perfidiæ daret, voluerunt. *Polybius, & Cic.lib.3. Offic.*

Gallorum rex Joannes primus, prælio victus, captuſque apud Pictones ab Edvardi tertii Britanorum regis filio Galliæ principe, poſteaquàm magna vi auri atque locis quibuſdam redemptionem ſuam pactus, data fide ad ea paranda, quæ ex pactione debebat, redire in Galliam permiſſus eſt: cùm domi inveniſſet nimiùm hac re regnum gravari, neque ea adeſſe, quibus ſervari promiſſa poſſet, in Britanniam reverti decrevit, ut fidem ſervaret: & ſi fieri poſſent, ſummam pactam cum Britannis minueret. Eò reverſus, brevi in adverſam valetudinem incidit, atque deceſſit. *Fulg.lib.1.c.1. Polyd.Virg.hiſt.Angl. lib.10. Iacob.Meyer.lib.17.annal.Flandr.*

Philippus Pulcher Guidonem Flandriæ comitem cum filio ceperat. Rebellantibus ſubinde Flandris, à rege dimiſſus fuit à cuſtodia Guido ſenex, ſi ſuos tanto ex intervallo reviſens, & ipſe moveri conſpectu ſuorum, & movere charitate ſui poſſet, ut ſpe veniæ impunitatiſque, in fidem regis poſito furore redirent: Ivit ſolo jurejurando rediturus, niſi permoveret, fide oppignorata: rediitque in cuſtodiam re infecta, paulòque poſt obiit. *Aemilius lib.18. & Fulg. lib.1.c.1. & Iacob. Meyerus lib.10. hiſt. Fland.*

Renatus Barri ac Lotharingiæ dux, cùm bellum ei eſſet cum Antonio Valdemontis comite, in prælio à militibus Philippi Burgundionum ducis captus, dimiſſus eſt, data fide, quoties vocaretur, rediturum ſe. Mox à Philippo, ut fidem ſervaret, requiſitus eſt, eo tempore quo fratre ipſius Ludovico Neapolitano rege defuncto, ad regni ſucceſſionem vocabatur. Etſi autem norat, Alphonſi Aragonii opera à Philippo ſe vocari, quòd is quoque trahere ad ſe Neapolitanum regnum quærebat, & ab Eugenio quarto Pont. propter aditam regni dignitatem, fide quam Philippo dederat, ſolutus eſſe videretur; præpoſita rebus omnibus fide, ad Burgundiorum ducem reverſus eſt: ubi cuſtoditus, quamquam poſt aliquod tempus poſtea liberatus fuerit, quia ob ejus tarditatem adverſariorum res invaluerant, regnum amiſit. *Fulgoſ.lib.1.c.1.*

### * ARCES CREDITAS NON REDDENDO.

Non minus admirationis peperit conſtans fides Marci Gutteri arcis Aguilariæ, nomine Didaci Loperii Præfecti, quam Alphonſi Legionenſis Regis copiis ac militibus cinctam, ſeptem annos ſtrenuè propugnavit. Cæterùm cum, mortuis præſidiariis militibus, ipſe etiam inedia & fame conficeretur, arcis clavibus collo appenſis, humique jacens, integra fide mori cupiebat: verùm hoſtes in arcem ingreſſi, Marcum exanimem ac propè fame enectum reperientes, adhibitis remediis curarunt. At poſtquam ad ſe rediit, ingemuit, quòd in defenſione præſidii ſe mori prohibuiſſent, ut datam fidem integrè ſervaſſe videretur. *Petr. Ribaden. lib.2. de Princ. Chriſtiano c.16.*

### * FUGITIVOS NON RESTITUENDO.

Quid dicam de Almenore Mauro Toletano Rege? Quanta cum humanitate Regem Alphonſum ſextum à fratre Sanctio ad ſe fugientem excepit? Qua fide conſervavit, & magnorum conſiliis reſtitit, qui ad necem Alphonſo inferendam hortabantur, quòd eum Toletanæ civitatis everſorem fore divinarent? Quanta etiam conſtantia & fidelitate non modò liberum abire permiſit, ſed etiam muneribus auxit, poſtquam cognovit hæreditario jure Sanctii regna ad Alphonſum perveniſſe? Quę omnia præſtitit Arabs, ut promiſſa ſervaret ei, qui tanta fiducia ejus ſe fidei poteſtatique tradidiſſet. *In Chronico Cidenſi apud Petr. Ribaden. lib.2. de Princ. c.15.*

### * JURISJURANDI VINCULA SOLVENDO.

Ille ipſe Alphonſus ſextus, cui Maurus tam conſtantem fidem præſtiterat, fidelitatis, qua in eum ipſum uſus eſt, quem tam benignum in ſe faventemque ſenſerat, exemplum præbet. Cùm enim in Oliæ oppidulo in ejus poteſtatem Maurus veniſſet, id in primis curavit, ut jurisjurandi, in quod adegerat, cùm in ejus eſſet arbitrio, ſe religione ſolveret: quo facto de integro renovatam amicitiam novo ſacramento firmavit, & in fide data integrè incorruptèque perſtitit. Quæ ideò fecit, ut oſtenderet, ſe non duci promiſſi pœnitentia; ſed ad regiam ſpectare dignitatem, id ut præſtaret generoſa quadam & ſpontanea mentis inductione, non coactus, aut juramento alligatus. *Idem, ibidem.*

### REDIMENDO SE AB HOSTE.

Captus à Saracenis Comes Pictavienſis, frater S. Ludovici Francorum regis, ducentis librarum millibus redemptus eſt, Philippi Monfortii opera. Qui cùm decem millibus Saracenos per imperitiam calculi hallucinatos regi nunciaret, rex illum ad hoſtes redire, eamque ſummam bona fide perſolvere coegit. *Aegid. Corrozetus de Dictis & factis mem.*

### POLITICA FIDES ERGA HOSTEM ſeſe manifeſtat, CONSILIUM COMMUNICANDO.

Expugnata Ptolemaide à Philippo Francorum & Richardo Anglorum regibus, inter captos erat quidam Characux prudentiæ fama nobiliſſimus. Hic à cuſtodiæ præfecto rogatus, ut quo pacto Latini parare perpetuòque tueri ſacrum regnum poſſent; jurejurando ſolemni dato: Terram, inquit, quæ vobis ſancta eſt, etiam ut nunc omnem in poteſtatem redigatis, nunquam fiet, niſi Ægypti imperio everſo, Ægyptiorum ſpiritus, ferociamque coerceatis, Nilum frænetis: nec in equitatu, peditatuve (ut hactenùs) omnem virtutis ſpem reponatis. Navalis gloria terreſtribus copiis addita, victoriam incruentam dabit. Damiata terra marique, maximè opportuna arx, eſt domanda in primis, ut Hieroſolymitanum regnum, quando id maximè vobis cordi eſt, quærere tuerique poſſitis. Cui conſilio ſi paruiſſent Latini, Oriens omnis Chriſti jugum poſtliminiò magna cum Latinorum gloria ſubjiſſet. Sed ſurdis narrabatur fabula. *Aemilius lib.6.*

### INTERCEDENDO.

Aristides, Juſtus cognomine, quendam reum egerat. At quum judices poſt Ariſtidis accuſationem nollent audire reum, ſed protinùs ad ſuffragia, quibus eum damnaturi erant, properarent: Ariſtides ſupplex pro reo interceſſit apud judices, ut eum juxta legum præſcripta diligenter audirent. Tanta erat in viro legum æquique obſervatio. *Plut. in Ariſtide.*

### DEFENDENDO.

P. Scipio Africanus à Tribb. plebis pecuniæ ab Antiocho acceptæ accuſatus, cùm in Linternum ſeceſſiſſet, ac L. frater abſentiæ cauſam in ægritudinem referret: unus è tribunis plebis, Tiberius Gracchus, cui ſimultates priùs cum Africano erant, contra opinionem omnium hanc excuſationem accepit, & Scipionis cauſam, modò cum ſummis laudibus efferendo, modò adverſarios deterrendo, ſic egregiè tutatus eſt, ut poſtea ſenatus frequens, qui hanc injuriam iniquo ferebat animo, ampliſſimas ei gratias egerit. Sunt autem qui volunt, P. Scipionem, priuſquam Linternum concederet, librum pro reddenda ratione à L. fratre in ſenatum allatum ſuis manibus concerpſiſſe: atque id non fraude aut arrogantia feciſſe, ſed eadem fiducia animi, qua aliquando in quæſtores eſt uſus, cùm claves ad aperiendum ærarium contra leges popoſcit, ut neceſſitati reipublicæ ſubveniret. Quidam etiam dicunt, non Africanum, ſed Aſiaticum fuiſſe, quem tribuni plebis, ob interverſam prædam Aſiaticam, in judicium vocarunt: & P. Scipionem, qui in Hetruria per id tempus erat legatus, hac re cognita, celeriter in urbem rediiſſe: & primo adventu cùm offendiſſet L. fratrem damnatum, & paratos miniſtros, qui eum vinctum in carcerem ducerent, ſic animo exarſiſſe, ut viatorem tribunoſque plebis vi à corpore fratris repulerit. Adjiciunt præterea, Tiberium Gracchum tribunum plebis queſtum, primò ſolutam eſſe à privato tribunitiam poteſtatem: deinde poſtpoſitis ſimultatibus, quæ ſibi cum Scipionibus intercedebant, eorum patrocinium ſuſcepiſſe, ut tribuni potiùs à tribuno, quàm à privato victi viderentur. Juravit enim in gratiam ſeſe cum Africano non rediiſſe: & poſtea decretum ex Tabulis recitavit: Cùm L. Corn. Scipio Aſiaticus triumphans, hoſtium duces in carcerem conjectaverit, alienum videtur eſſe à dignitate Reip. in eum locum Imperatorem pop. Rom. duci, in quem



locum ab eo conjecti ſunt duces hoſtium: Itaque L. Corn. Scipionem Aſiaticum à vi collegæ prohibeo. Eodem die ſenatum in Capitolio cœnantem auctorem fuiſſe ſcribunt, ut Africanus minorem ex filiabus Tiberio Graccho deſponderet. Ita plus apud Gracchum Reip. auctoritas in liberando Scipione potuit, quàm privatæ cum ejuſdem fratre diſſenſiones. *Gellius lib.7. c.19. Auctor. vitæ Africani.*

Cn. Domitius Trib. plebis, M. Scaurum principem civitatis in judicium populi revocarat. Cujus opprimendi cùm ſummo ſtudio flagraret, ſervus Scauri ad eum nocte pervenit, inſtructurum ſe ejus accuſationem multis & gravibus domini criminibus promittens. Erat in eodem pectore inimicus Domitius, & dominus diverſa æſtimatione nefarium judicium perpendens; juſtitia tamen vicit odium, continuò enim & ſuis auribus obſeratis, & judicis ore clauſo, duci eum ad Scaurum juſſit. Accuſatorem etiam reo ſuo, ne dicam diligendum, certè laudandum, quem populus, tum propter alias virtutes, tum hoc nomine libentiùs, & Coſ. & Cenſorem, & Pont. Max. fecit. *Valer. lib.6.c.5. & Cic. pro Dejotaro.* At *Plutarchus de Vtil. ex inimicis ſumenda*, Scaurum accuſatorem Domitii fecit.

L. Crassus Cn. Carbonis nomen infeſto animo, utpotè inimiciſſimum ſibi, detulerat: ſed tamen ſcrinium ejus à ſervo allatum ad ſe complura continens, quibus facilè opprimi poſſet, ut erat ſignatum, cum ſervo catenato ad eum remiſit. Quo pacto igitur inter amicos viguiſſe tunc juſtitiam credimus, cùm inter accuſatores quoque & reos tantum virium obtinuiſſe videamus? *Ibidem.*

L. Manlio Auli filio, cùm dictator fuiſſet, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit, quòd is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet. Criminabatur etiam, quòd Titum filium ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare juſſiſſet. Quod cùm audiviſſet adoleſcens filius negotium exhiberi patri, accurriſſe Romam, & prima luce Pomponii domum veniſſe dicitur. Cui cùm id eſſet nunciatum, quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra patrem arbitraretur, ſurrexit è lectulo, remotiſque arbitriis, ad ſe adoleſcentem juſſit venire. At ille ut ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit: juravitque ſe illum ſtatim interfecturum, niſi jusjurandum ſibi dediſſet, ſe patrem eſſe miſſum facturum. Juravit hoc terrore coactus Pomponius: rem ad populum detulit: docuit, cur ſibi à cauſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manlium miſſum fecit. Tantùm temporibus illis jusjurandum valebat. *Cicero lib.3. Officiorum, & Valerius Maximus lib.5. c.4.*

### FIDES IN CONTRACTIBUS VOLUNTARIIS quibuſcunque. Huc pertinet Juſtitia circa LEGES. BONAS LEGES Conservare.

Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, patria excedens, jurejurando cives ſuos adegit, ne priùs leges ſuas mutarent, quàm ipſe reverſus eſſet. Voluntario igitur exilio in Cretam abiens, illic mortuus, cineres ſuos in mare projici juſſit: ne fortè illis in patriam relatis, cives ſe ſacramento ſolutos arbitrati, ſaluberrimas leges abrogarent. *Plut. in Lycur.*

Pausanias Pliſtonactis filius, cuidam roganti: Quam ob rem apud Spartanos nefas eſſet ullam priſcarum novare legum? Quoniam, inquit, legibus convenit auctoritas in homines, non hominibus in leges. *Plut.*

### OBSERVARE. HUJUS SUNT LOCI.

*Magiſtratus qui legibus paruere.*

Ægyptiorum reges, pro conſuetudine recepta, nil agebant propriis affectibus, ſed omnia juxta legum decreta. His enim nec judicandi, neque pecuniam congregandi, neque puniendi quenquam per ſuperbiam, aut iram, aut aliam injuſtam ob cauſam, licentia permiſſa erat, ſed veluti privati legibus tenebantur: neque id ægrè ferebant, exiſtimantes, parendo legibus ſe beatos fore. Hac uſi erga ſubditos juſtitia reges, omnium benevolentiam adeò aſſecuti ſunt, ut non ſolùm ſacerdotibus, ſed ſingulis Ægyptiis major regis, quàm uxorum filiorumque, aut aliorum principum, ſalutis ineſſet cura. *Diodor. lib.1. c.6.*

Cùm Alcamenem, Telecri filium, quidam interrogaſſet, Quamobrem munera à Meſſeniis oblata ita recuſaſſet? Quoniam ſi accepiſſem, inquit, cum legibus pacem habere non poteram. *Plutarchus.*

Pisistratus tyrannus Athenienſium, ut legibus Solonis pareret, de cæde apud Areopagitas accuſatus, modeſtè ad judicium ſtetit ad cauſam dicendam: quam tamen deſeruit accuſator. *Plut. in Sole.*

Agesilaus parte magna Aſiæ ſubjugata, ſtatuerat in ipſum movere regem, quò facultatem ei Græcorum concionatores per otium redimendi præciderent. Ac revocatus ab Ephoris ad urgens in faucibus Spartæ bellum Græcum, quod miſſa pecunia rex Perſarum concitaverat: bonum Imperatorem fatus dicto audientem eſſe legibus oportere, ſolvit ex Aſia, magnumque deſiderium colentibus Aſiam Græcis rei reliquit. Cæterùm qui nummi Perſici ſagittario erant ſignati, deportans exercitum, triginta millibus ſagittariorum ait Aſia ſe ab rege ſummoveri. Tot enim deportatis Athenas & Thebas, diviſiſque inter concionatores aureis Daricis, populi illi ad movendum Spartiatis bellum fuerant incenſi. Ephoris epiſtolam reſcripſit hujuſcemodi: Pleraque Aſiæ ſubegimus, barbaros profligavimus, atque in Jona rebus multis geſtis, poſtquam juſſiſtis mihi, ut ad præfinitam diem preſtò ſim, ſequar hanc epiſtolam, imò eam penè præcurram: Habeo enim imperium non mihi, ſed reipub. noſtræ & ſociis. *Plut. in Apoph.*

Diphridas magiſtratuum Spartanorum mandato præcepit Ageſilao, ut confeſtim ex itinere Bœotiam incurſaret. Quod etſi facere majore poſt inſtituerat apparatu, quia non putabat tamen non parendum magiſtratibus, evocatis cohortibus duabus de exercitu, quia apud Corinthium bellum gerebat, Bœotiam iniit, ac concurrit apud Coroneam cum Thebanis Athenienſibuſque, ſimulque cum Argivis & Corinthiis: atque hos ambos, quamvis multitudine vulnerum corpore affecto, maxima, ut eſt Xenophon auctor, ſuæ ætatis pugna pepulit. *Plut. in Apoph.*

Antigonus tertius ſcripſit civitatibus: Si quid ſcripſiſſet, quo quid contra leges imperaret, ne parerent, ut decepto ſibi. *Plut. in Apoph.*

Cùm Syracuſii ſumptus in funeribus conſuetos coercuiſſent, adjectis etiam in lege, expreſſiſque funerum actionibus, Gelo rex cupiens populi voluntatem in omnibus ſequi, ſuoque exemplo plebiſcita comprobari, legem quam de ſepultura tulerant, in ſe ipſo ſervavit. Nam morbo acri correptus, cùm jam de vita & ſalute deſperaret, Hieroni fratri natu majori regnum tradidit, præcipiens, de ſepultura & funere ſuo ne uſquam diſcederetur à lege. Eo mortuo, Hiero ita uti juſſerat, pompam duxit. Cadaver in uxoris agro conditum, loco Novem turres dicto. Univerſa civitas funus comitata, ad eum uſque locum perduxit, qui ab urbe ducenta aberat ſtadia. Eo illic condito, populus ſepulcrum elegans mirificique operis extruxit, propter res præclarè geſtas, tituliſque heroicis Gelonis nomen commendavit. Ea monumenta fuere poſtea à Carthaginenſibus diruta, quum Agathocles per invidiam erutas turres ſolo æquavit. *Diod. lib.11.*

Cùm ex acie Pharſalica Scipio Pompeji gener, Appius Varus Africæ præfectus, & Cato minor ad Jubam regem fugiſſent, & Scipio ſimul atque Varus Catoni ſummam rerum permitterent, negavit convulſurum ſe leges, quarum cauſa oppugnarent convellentem: neque ſe proprætorem proconſule præſente imperaturum. Nam creatus Scipio proconſul fuerat: ac ſpem victoriæ vulgus ex nomine trahebat imperantis in Africa Scipionis. At non multò poſt præ ſe tulit apertè pœnitere ſe, quòd imperium permiſiſſet ei, ratus, nec bellum rectè Scipionem adminiſtraturum: nec, ſi præter ſpem ſucceſſum habuiſſet, uſurum victoria in cives moderatè. *Plut. in Catone.*

Augustus Imp. cùm lata lege, qua judicandi de adulteriis forma ſtatuebatur, apud eum adoleſcens perpetrati cum Julia filia adulterii accuſaretur, indignationis, doloriſque magnitudine compulſus, manu ſua cædere adoleſcentem cœpit. Cùm autem is contrà exclamaret, Violari ab Auguſto legem, quam de adulteriis ſanxerat: repentè ejus ira concidit, adoleſcentemque dimiſit. Atque eo die præ dolore cibo abſtinuit; adeò graviter à ſe erratum duxit, cùm legem, quam condiderat, ipſe violaſſet. Nam quanquam legibus præeſſet, æquum tamen ducebat, non minùs ſe quàm alios legibus parere. *Fulgoſus lib.4. c.1.*

*Legiſlatores qui legibus à ſe poſitis ſeriò ſtuduere.*

Tennes Tenediorum rex, ex maris periculo ſervatus, in quod ob falſam adulterii ſuſpicionem projectus erat à patre, legem tulit, ut ſi quis adulterum deprehendiſſet, eum ſecuri trucidaret. Deprehenſo verò filio ipſius, rogatus rex: Quid faciendum eſſet? reſpondit: Lege uteretur. Ob hanc cauſam in altera parte numiſmatum ſuorum ſecurim inſculpſit, in altera viri atque mulieris faciem ex illo dependentem. Hinc proverbium. Tenedia ſecuris. *Eraſmus.*

Zaleucus urbe Locrenſium à ſe ſaluberrimis atque utiliſſimis legibus munita, cùm filius ejus, adulterii crimine damnatus,

A natus, ſecundùm jus ab ipſo conſtitutum utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris neceſſitatem plenè adoleſcentulo remitteret, aliquandiu repugnavit. Ad ultimum precibus populi victus, ſuo priùs, deinde filii oculo eruto uſum utrique videndi reliquit. Ita debitum ſupplicii modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento ſe inter miſericordem patrem, & juſtum legislatorem partitus. *Val. Maxim. lib.8.c.5.* At *Cælius lib.10. cap.19. A. L.* Zaleuco tribuit Charondæ factum, errato forſan μνημονικῷ.

CHARONDAS Thuriorum legislator, cùm in agrum exiviſſet gladio accinctus propter latronum incurſationes, atque in regreſſu ſuo convocata fortè concione tumultus excitari, miſcerique plebem, & agitari variè per facinoroſos & ſeditioſos viros audiſſet, immemor gladii ad latus pendentis, properat in concionem. At cum lege è ſe cautum, capitaleque judicatum eſſet, ne qua quis cauſa in concionem cum armis prodiret: quidã ex æmulis repentè inclamarunt: Leges, quas condidiſti, nobiſque compoſuiſti, Charonda, primus prævaricari adortus es: Minimè herclè, inquit, quin ratam faciam; confeſtimque ſtricto gladio, ſibimet, conſpicientibus omnibus, jugulum aperuit. *Diodorus lib.12. & Valer. Maxim. lib.6. c.5.*

DIOCLES Syracuſiis leges ſcripſit poſt victos Athenienſes. Hic B cùm ſeveritate inexorabili delicta perſequeretur, errantesque ſummota protsùs venia puniret, inter leges hanc inſeruerat, ne cui cum armis in forum & concionem prodire liceret. Si quis id tranſgreſſus eſſet, capite puniretur. Neque imprudentiæ, neque alii cuipiam in ea re neceſſitati ulla exceptione cautum erat. Quadam die cùm nunciatum eſſet, hoſtes in agrum irrupiſſe, gladio accinctus obviam properabat. Tum repentè ſeditione & tumultu circa forum excitato, converſus imprudenter, uti erat accinctus enſe, procurrit in forum: ibique à quodam privato ferè obſervatus, cùm clamaſſet ille, quòd leges ipſe ſuas tranſgredi atque antiquare cœpiſſet: ad incuſantem converſus, magna voce reſpondit: Minimè herclè, quin eas ſanciam. Eo dicto, gladium illicò ſtringens, ſibimet per jugulum adegit. *Diod. lib.13.*

*Privati legum obſervatores.*

ARCHIDAMUS Zeuxidami filius, cuidam roganti, Quinam eſſent Spartanæ civitatis præfecti? Leges, inquit, ac legitimi magiſtratus. *Plut.*

SP. CARBILIUS Ruga cùm uxorem duceret, Cenſoribus jurare coactus eſt, uxorem ſe liberorum habendorum gratia haC bitutum. Verùm cùm poſtea ex ſterili uxore liberos procreare nequiret, primus fuit, qui uxorem ſibi cariſſimam apud Romanos repudiavit, ne juramento non ſatisfacere diceretur. *Dionyſius Halicarnaſſeus lib.2. Gell. lib.4. c.3. Plut. in Numæ vita. Valer. Max. lib.2. de Inſtit. antiquis.*

## LEGES DEFENDERE.

CAROLUS MAGN. gladii capulo, cui inſignia ſua inerant, edicta ſignabat. Ejuſdem enim eſſe dicebat, & confirmare & defendere leges. *Ægid. Corrozetus, de Dictis memor.*

## TRIBUTA. TRIBUTORUM EXACTIO JUSTA.

ARISTIDES Athenienſis poſt victum Xerxem regem Perſarum, ſtatim conſuluit ſociis, ut advocato communi conventu, in Delo publicum ærarium ſtatuerent, pecuniaſque omnes undique coactas illic reponi juberent, & adversùs ſuſpectam deinceps belli Perſici eruptionem ſeſe munire vellent: proinde ſingulis urbibus vectigalia pro cujuſque facultate imperarent, ita ut inde ad quingenta vel ſexcenta talenta exiD gerentur. Socii ad ea conſentientes, eum ipſum ab Athenienſibus poſtulaverunt, eique negotium dederunt, ut inſpecto agro & vectigalibus, præſcriberet, pro cujuſque facultatibus & opibus, quantum penderet. Qui cùm tantæ rei haberet arbitrium, & cùm Græci quodammodò ſummam rerum ad unum eum detuliſſent, pauper propè profectus eſt, & reverſus pauperior: tributique deſcriptionem non ſolùm innocenter & æqualiter, ſed etiam gratè omnibus atque convenienter fecit. Ut enim Saturni regno priſci, ita Athenienſium ſocii deſcriptum ab Ariſtide tributum, felicitatem Græciæ appellantes, ferebant illud in cœlum: maximè quia non multò poſt duplicatum, mox triplicatum fuit. *Plut. in Ariſtide, & Diod. lib.11.*

Cùm principes Syriæ & Phœniciæ urbium Alexandriæ conveniſſent, uti actioni vectigalium intereſſent, cùm dies auctionis veniſſent, licitabantur nobiles ſuæ quiſque patriæ vectigalia: & cùm octo millia talentorum colligerentur è vectigalibus Cœleſyriæ, Phœniceſque & Judææ, ac Samariæ, Joſephus Judæus Hircani pater (qui ad Ptolemæum Evergetem legatus miſſus fuerat) culpabat illos licitatores, tanquam de compoſito tam parvum regi precium promitterent: Se enim paratum duplum numerare, relictis regi damnatorum confiſcationibus, quæ priùs publicanis ſolebant accedere. Rege libenter hæc audiente, & ut amplificatori redituum ſuorum addicturum ſe promittente, rogante tamen, Ecquos fidejuſſores haberet? feſtivè reſpondit, Daturum ſe homines probos & honeſtos, quibus non gravaretur credere. Quos ut proferret, poſtulatus: Te, inquit, rex dabo, tuamque conjugem ut alter alteri pro me fidejubeat. Tum rex arridens permiſit eum abſque fidejuſſione habere vectigalia. Joſephus autem acceptis à rege duobus militum millibus, Aſcalonitas & Scythopolidas tributum dare negantes vi compulit, & ex vectigalium redemptione multa lucrantes, opibus ils ad ſtabiliendam potentiam ſuam uſus eſt. *Ioſeph. lib.12. c.4. Antiq.* E

## BONORUM COMMUNIUM DIVISIONEM.

### PUTA AGRORUM.

ABRAHAM diſceſſurus à Loth nepote, ob jurgia paſtorum mutua, dedit ei optionem, ut eligeret partem quam vellet. Pulchrè partitio fit, ut major dividat, & minor eligat. *Gen.13.* F

LYCURGUS cùm partitus agrum eſſet, omnibuſque civibus ſortes æquales diſtribuiſſet, ferunt poſtea peregrè revertentem agrum frugibus modò demeſſis peragraſſe, cernentemque acervos comparatos æqualiter & partes, lætum arridentemque comitibus dixiſſe: Nonnè totam Laconiam dicas multorum fratrum, qui modò eam inter ſe ſint partiti? *Plutarch. in Apoph.*

## ANNONÆ.

Moſyni populi frumenta omnia æqualiter diſtribuebant, partem tantùm aliquam communiter pro hoſpitibus advenientibus ſeponentes. *Stob. ſer.42. ex Nicolao de Gentium moribus.*

## MUNERUM.

ALEXANDER Severus Imper. aurum & argentum raro cuiquam niſi militi dimiſit: nefas eſſe dicens, diſpenſatorem publicum in delectationes ſuas ſuorumque convertere id, quod provinciales dediſſent. *Lampridius.*

## PRÆDÆ.

DAVID Amalechitas, qui Siceleg ex improviſo adorti ceperant, mira ſecutus celeritate, crapula obrutos, ad unum necaG vit. Captivi cum omni præda recepti. Negare milites, qui hoſtes ſecuti fuerant, eorum rationem in dividenda eſſe habendam, qui in caſtris remanſiſſent. Contrà tendere illi, qui fermè 200. erant; nec paſſuri videbantur, quando velut præſidio in caſtris fuiſſent, ſe præda fraudatum iri. Etiam res non procul à ſeditione aberat, quum David pronunciavit prædam ex æquo dividendam, quoniam qui caſtra obtinuiſſent, & ipſi militare obiviſſent munus. Manſitque jam inde mos ille genti, ut quicquid eſſet expeditione quæſitum, æqua ſorte cum ſtationariis militibus divideretur. *Sabell. lib.8. Enn. 1. ex Reg.10.*

M. CATO, Hiſpania citeriore ſubacta, militibus, præter compendium ex bello magnum, libram argenti in ſingulos diviſit: addens, ſatius eſſe, multos Romanos cum argento, quàm cum auro paucos domum regredi. Ad ſe verò, præter eſculenta & potulenta, negavit ex præda quicquam rediſſe. Neque reprehendo, inquit, eos, qui hinc emolumentum captant: verùm malo de virtute cum optimis, quàm cum divitibus de pecunia, & cum avariſſimis certare de quæſtu. Neque ſolùm, ſed & comites ſuos præſtabat ab omni captura integros. *Plut. in Cat.* H

Cùm Probus (qui poſtea Imp. fuit) adeò juſtè inter milites ſuos ſpolia divideret, ut nil præter tela & arma ſibi retineret: quinetiam cùm præda (an ex Alanis, ſive ex alia gente, incertum eſt) repertus eſſet equus non decorus, neque ingens, qui, quantum captivi loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies octo vel decem continuaret; & omnes crederent, Probum tale animal ſibimet ſervaturum, jam primùm dixit: Fugitivo militi potiùs, quàm forti hic equus convenit. Deinde in urnam milites juſſit nomen ſuum mittere, ut aliquis eum ſorte ductus acciperet: & cùm eſſent in exercitu quidam nomine Probi, alii quatuor milites, caſu evenit, ut primùm emergeret, cui Probo nomen exiſteret, cùm ipſius Probi ducis nomen miſſum non eſſet. Sed cum quatuor illi milites inter ſe contenderent, ac ſortem ſibi quiſque defenderet, juſſit iterùm agitari urnam: ſed iterùm Probi nomen emerſit. Cùmque tertiò, & quartò feciſſet, quartò Probi nomen effuſum eſt. Et omnium conſenſu ipſi Probo equus datus. *Vopiſcus.*

Sub Sigiſmundo Imperatore, Boemi latrones, duce Examita

Huſſita,



A Huſſita, prædam inter ſe in fine cujuſque menſis æqualiter dividebant. *Æneas Sylvius c.1. Europæ.*

## PROMISSA. FIDES IN PROMISSIS, PACTIS.

☞ *Conſule Tit. Fidei erga hoſtes: Redeundo in carcerem.*

☞ *Item Fidei erga amicos: Liberando è carcere.*

SCYTHES Zanclæorum tyrannus, captus ab Hippocrate Gelæ tyranno, & in Inycum relegatus, profugit in Himeram, atque illinc tranſmiſit in Aſiam, aſcenditque ad Darium regem: quem Darius juſtiſſimum virorum omnium cenſuit, qui è Græcia ad ſe aſcendiſſent. Nam cùm exorato rege in Siciliam abiiſſet, rurſus è Sicilia ad regem rediit, fide ſervata; donec natu grandior ac beatus apud Perſas exceſſit è vita. *Herod lib.6.*

SP. CARBILIUS, cognomento Ruga, M. Attilio, P. Val. Coſſ. uxorem ſuam primus apud Romanos repudiavit, quòd ex corporis vitio ſterilis eſſet: cùm inter maritum & uxorem à condita Urbe ad annum uſque viceſimum tertium & quinquageſimum, nullum repudium fuiſſet. Cauſa repudii fuit, B quòd jurisjurandi religionem animo atque amori (quo uxorem propter ſuaviſſimos mores proſequebatur) præponebat. Namque jurare cenſoribus coactus erat, uxorem ſe liberorum quærendorum gratia habiturum. *Dionyſ. Halicar. lib.2. Valer. Max. lib.2. c.1. Gellius lib.4. c.3. Plutarchus in comparatione Numæ & Lycurgi.*

L. MANLIO Imperioſo, A. filio, cùm Dictator fuiſſet, M. Pomponius Tribunus plebis diem dixit, quòd is paucos dies, licèt occaſione benè gerendi belli, ad Dictaturam gerendam addidiſſet. Criminabatur etiam, quòd Titum filium, qui Torquatus poſtea eſt appellatus, ab hominibus relegaſſet, & ruri habitare juſſiſſet; itaque hunc publicis uſibus ſubtraheret: cum nihilominùs qui liberi noſtri ſunt, non tam nobis quàm Reipublicæ naſcantur. Sed cùm audiſſet adoleſcens filius, negotium exhiberi patri, accurriſſe Romam, & prima luce, Pomponii domum veniſſe dicitur. Cui cùm eſſet nunciatum, quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra patrem arbitraretur, remotis arbitris, ad ſe adoleſcentem venire juſſit. At ille ut ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit, juravitque ſe illum ſtatim interC fecturum, niſi jusjurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum. Itaque juravit hoc terrore coactus Pomponius, rem ad populum detulit, docuit, cur ſibi à cauſa deſiſtere neceſſe eſſet, Manlium miſſum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat. *Cicero lib.3. Officiorum. Valer. Maxim. lib.5. c.4. Plinius de viris illuſtrib.*

*Præſtiterat Ageſilao ſacramentum Tiſſaphernes, ſi ſecum inducias pangeret, donec nuncii, quos ad regem mitteret, reverſi eſſent, impetraturum ſe ipſi, ut oppida Græci nominis in Aſia ſui juris & libera eſſe permitterentur. Ageſilaus ab altera parte juraverat, ſervaturum ſe inducias ſine fraude, tribus menſibus ad eam rem conficiendam definitis. Verùm Tiſſaphernes jusjurandum præſtitum mox violavit. Nam pro eo, quòd pacem ſe confecturum pollicitus erat, ingentes copias arceſſebat è rege, quas cum iis conjungeret, quibus jam ante utebatur. Hæc tametſi animadverteret Ageſilaus, nihilominùs in ſervandis induciis perſtitit. Quamobrem mihi primùm hoc feciſſe præclarè videtur, quòd dum Tiſſaphernem perjurum eſſe declararet, ſuſpectam ejus apud omnes fidem reddiderit. Contra, dum ſe conſtanter & ſacramento confirmata ſervare demonſtraret, & fœdera minimè violare: perfecit, ut omnes tam GræD ci, quàm barbari, fidentibus animis cum eo fœdus inirent, ſi quod ei viſũ eſſet inire. Ubi verò Tiſſaphernes elatus ob eas copias, quæ à rege deſcenderant, bellum Ageſilao denuntiaſſet, ni Aſia exceſſiſſet: cæteri quidem ſocii, cum Lacedæmoniis, qui aderant, omninò ſe angi declarabant, quòd Ageſilaum minores in præſentia copias habere putarent, quàm quæ apparatui regio reſponderent. Ageſilaus autem hilari admodùm vultu renunciare legatos Tiſſapherni juſſit, habere ſe magnam ipſi gratiam, quòd perjurio Deos ſibi quidem infeſtos reddidiſſet, Græcis verò belli ſocios. *Cap.4. vitæ ejus Xenophon.* Tanta erat in Ageſilao rerum divinarum reverentia, ut etiam hoſtes ſacramenta ejus & fœdera majorem mereri fidem arbitrarentur, quàm ipſorum inter ſe amicitiam. Et ſuis quidem cum hominibus ad eundem locum convenire reformidabant, at Ageſilao in manus ipſimet ſe tradebant. Ut autem nemo ſit, qui fidem mihi non habeat: lubet eorum nomina recenſere, qui fuerunt imprimis illuſtres. Spithridates Perſa, quum Pharnabazum ſciret id agere, ut filiam regis uxorem duceret, ac ipſius filia ſine legitimis nuptiis potiretur: ratus hoc inſigne ſibi fore dedecus, ſeipſum cum uxore, liberis, facultatibus in manus Ageſilao tradidit. Et Cotys Paphlagonum princeps, regi quidem dextram mittenti non paruit, veritus, ne, ſi comprehenderetur, vel magnis pecuniis, vel etiam morte multaretur: verùm idem Ageſilai fœderibus fidem quum adhibuiſſet, in caſtra ejus venit, initaque ſocietate, cum Ageſilao militare maluit, quum quidem equites mille, bis mille certatos haberet. Prætereà Pharnabazus quoque cum Ageſilao in colloquium venit, apertèque profeſſus eſt, ſe, ni totius exercitus fieret Imperator, defecturum à rege: Sin Imperator ego creer, inquit, mi Ageſilae, fortiſſimè bellum adversùs te geram, quàm quidem diu potero. Atque hæc quum diceret, futurum credebat, ut ipſi contra fœdera nihil accideret. Tanta, tamque præclara res eſt, quum in aliis univerſis, tum in Imperatore religioſum eſſe, ac fidei ſervantem, talemque cognitum eſſe. *Cap. 29. vitæ ejus. Idem.* E

*PHILOSTRATUS ita ſcribit: At noſter Indus compoſito fœdere cum eo qui tunc in his locis regnabat, cùm ille mulierem contra jus omne, faſque ei abſtuliſſet; fœdera tamen violare noluit, quòd tam ſanctè pièque ſe juraſſe diceret, ut ne injuriam quidem paſſus, detrimenti quidpiam illi vellet adferre. *Lib.3. Apoll. c.6.*

AURELIANUS Imp. quum Tyanam veniſſet, eamque occluſam reperiſſet, iratus dixit: Canem in hoc oppido non relinquam. Qua voce milites erecti in ſpem prædæ, cùm Heradamon urbem prodidiſſet, noluit tamen, ut urbs diriperetur. Attamen ne mendacium dixiſſe videretur: Agite, inquit ad milites, canem negavi me relicturum, canes omnes occidite. *Vopiſcus in Aurel.* F

LEONEM Magnum recèns imperium adeptum, crebris flagitationibus urgebat Aſpar, cujus auctoritate Imperator declaratus fuerat, ut quemadmodùm promiſiſſet, alterum filiorum ſuorum Cæſarem appellaret. Quum cuntaretur, purpura ejus prehenſa: Imperator, inquit, hac veſte indutum mentiri, nefas eſt. Cui reſpondit ille: Etiam cogi, & inſtar mancipii trahi, nefas eſt. Sed quum tandem reſiſtere non poſſet, neceſſitati cedens, filium illius è Patricio Cæſarem fecit. *Zonar.*

Exigenti promiſſa veterano militi, cùm diceret Sigiſmundus Imp. At immoderata fuit petitio tua, reſpondit miles: Poteras negare, cùm peterem: Nunc ſine turpitudine, quod promiſſum eſt, reſcindere non poteris. Tum Sigiſmundus: Si ex duobus alterum me ferre oportet, faciliùs rerum quàm famæ jacturam ſubibo. *Æn. Syl. lib.3. Com. in Panormit.* G

CANUTUS tertius Daniæ rex, cùm poſt mortem patris Canuti II. Norvegiæ regnum Magnus S. Olani P. occupaſſet, & Angli, quinetiam defectionem viderentur meditari: ne Angliæ regno excideret, cum Magno pactus eſt, ut qui prior deceſſiſſet ejus regnum ſuperſtiti cederet. Anglia interim per biennium conſtituta, moritur. Sveno, Canuti II. ex ſorore Eritha & Ulvone Sveco F. cognationis jure regnum petit. Viciſſim quoque Magnus, mutuæ pactionis lege, ipſiuſque Canuti teſtamento legatum, Dani facta competitorum æſtimatione, regum ſuorum ſanguinem repulſæ ignominia fœdare, quàm jusjurandi vinculum rumpere maluerunt, ſe plus religioni, quàm regno deberi confeſſi. *Saxo lib.10.*

MAGNUS Sveciæ rex Alberto duci Megapolenſi Euphemiam ſororem an. 1336. deſponderat. Aliquot poſt annis filio ſuo Aquino Novergiæ regi Eliſabetham, Henrici Holſatorum comitis germanam, miſſis proceribus, juſſerat adduci. Pacta matrimonii talia fuere, quòd niſi Aquinus dictam puellam acciperet, omnes illicò regni proceres à ſacramento, quod Magno regi ſuo debebant, eſſent liberi. Navigarunt cum puella Sveciam verſus proceres: ſed eos ventus in portum Daniæ impulit. Rex H Valdemarus quum intelligeret profectionis cauſam, animo ſecum voluit, expedire regnis, ut thorum illum filia ſua teneret. Ergo advenis hoſpitaliter habitis, & aſſervatis, regem Sveciæ Magnum evocavit, cum filio Aquino: oſtendens, quàm magno trium regnorum commodo pax jugalibus ſacris ſociari poſſet. Magnum Sveciæ regem permovit, ut Aquino filio Margaritam Valdemari filiam jungeret. Nuptiis vix peractis, Blanca regina Sveciæ & Chriſtophorus unicus Valdemarii filius diem ſuum obierunt. Sveciæ proceres ſoluti ſacramento, quod regi ſuo debuerant, de implenda fide cogitabant. Erant autem pacta dotalia firmiſſimis & maximis vallata pœnis. Nam ſi de parte Henrici Comitis impedimentum daretur, quò minùs ſponſalia implerentur, arcem Calmerem (quam de regno Sveciæ tenebat Henricus in pignus) amitteret, & ſexaginta millia auri talenta perſolveret. E diverſo, ſi de regis parte ſtaret, quò minùs implerentur nuptiæ, ipſe regno cederet, & omnium ſacramenta ab illo laxata ad Henricum comitem tranſirent. Comes ergo qui fortunã ſuam per multas terras expertus, ubique fortiſſimus & fortunatiſſimus habebatur, proceres commonefecit

neſecit ſub honore militari, ut dicto parerent: quod niſi facerent, apud omnes principes infamiam eorum denudandam. Proinde illi eum adierunt in Holſatia, regnum illi ex pacto fœdere offerentes, ſeſe ad omnia pariturus polliciti. Ille actis gratiis pro fide, ſe regno teſtatus imparem, illos remiſit ad Albertum ducem Megaloponenſem, ſocerum ſuum: quemcunque illi ex tribus ejus filiis, ex Euphemia ſorore Magni ſuſceptis, Henricum, Albertum, Magnum, elegiſſent, in eum ſe jus ſuum omne refuſurum. Illi delegere Albertum medium, cumque illo in Sveciam navigavere. Interim evocato ad cauſam Magno, ut (ſi poſſet) ſe tueretur, quum minimè compareret, in ipſa Quadrageſima iterùm evocarunt: cumque rurſus non comparentem, ob contumaciam regno dejecerunt, & unanimi conſenſu Albertum regem conſtituerunt. Magnus contractis quos ex multis reliquos habebat amicis, vocatoque in auxilium filio, arma movit in Albertum. Sed ubi armis nil profecit, tandem miſerabili oratione regium titulum cum omni jure regni in Albertum contulit, & ab eodem viciſſim occiduam Gothiam ad mortem uſque obtinuit. *Crantzius lib.5. Sveciæ c.30. & 31.*

Boemi fide publica ad Baſilienſe Concilium miſere Procopium capitaneum, cum aliquot doctis artium magiſtris; nam aliarum facultatum doctores nec habebant, nec habere curabant. Fidem interpoſuere Marchiones duo, Fridericus de Brandenburgo, & VVilhelmus de Baden, Nurenburga & Egra urbes, ituros & redituros ſecurè Boemos, habendoſque pacificè, neque contumeliis in verbo, aut nutu, aut facto leviſſimo afficiendos: Si quid horum violaretur, principes omni jure Boemorum captivos, urbes futuras in Boemorum poteſtate. Servata eſt illis fides. *Crantzius lib.11. Vandaliæ, c.25.*

Polotiam arcem cùm deditione accepiſſet Stephanus Poloniæ rex, præſidiarii ne à milite injuriam acciperent, curam adhibuit. Itaque accidit, ut cum inſpectante Rege ex arce digredientes, quidam in tanta multitudine facilè laliturum ſe ratus, aliquos ſpoliaret, cum Rex ipſe, clava in illum invectus, notaret. Ea res tantam illi venerationem in animis hoſtium faciebat, ut quò magis clementia fideſque ignota eſſet, eò magis has in ipſo virtutes admirarentur. *Rein. Heidenſt. lib.2. bell. Moſcov.*

Joannes Basilides, Magnus Moſcoviæ Dux, permagna ſæpiùs promiſſi fideique vanitate erga divos Poloniæ Reges eſt uſus: quibus non ſemel pace ſuſcepta, ac jurisjurandi religione ſancita, ad tranquillitatis fiduciam adductis, & contra Barbaros, nominique Chriſtiano infeſtos populos bella gerentibus, fidem impiè fregit, pacta omnia violavit, & reintegrato bello, vel à neceſſaria eos contra ethnicos defenſione, vel pulcherrimis pro republ. Chriſtiana cœptis revocavit, & obſiſtere ſuis injuriis coegit. Contra ſolos Caſanenſes Tartaros fallax Tyrannus infeliciter dolos exercuit. *Paulus Oderbornius in ejus vita.*

PECUNIAM PROMISSAM REDDENDO.

Zeno cuidam promiſerat quingentos denarios mutuo. Admonitus ab amicis, hominem eſſe malæ fidei; tamen credidit, vel ob hoc, quia promiſerat, & ſumma erat exilis. *Eraſm. in Adag.*

Fridericus dux Auſtriæ, Alberti Cæſaris filius, commiſſurus prælium adversùs Ludovicum Bojarium, quicùm de imperio contendebat, quamvis accepiſſet, Marchiones Brandenburgenſes cum hoſtibus ſentire, his tamen promiſſam ante pecuniam numeravit, alienam fidem accuſari, quàm ſuam malens. *Æn. Syl. lib.3. Com. in Panorm.*

ÆS ALIENUM DISSOLVENDO.

Demosthenes adversùs Leptinem, probans, non eſſe violandam fidem, narrat XXV. tyrannos Athenienſium mutuatos fuiſſe pecuniam à Lacedæmoniis contra Athenienſes illos, qui Piræem oppidum occuparant: quam cùm poſtea rebus compoſitis, receptaque Rep. repeterent, miſſis oratoribus Athenas; invenirenturque qui æquum cenſerent reddere illos, qui accepiſſent, quorumque utilitatibus ſerviſſet, id eſt, eos, qui in urbe tunc erant, atque illic dominabantur; aliis contrà cenſentibus illam ſolvendam eſſe ab omnibus civibus, futurumque id argumentum verè conciliatorum animorum, & unius corporis civitatis: populum ſtatuiſſe, ſe quoque conferre, participemque eſſe illius ſumptus, ne fides ullam in partem laboraret.

Quum Athenienſes olim ſacrificia inſtituiſſent, peterentque à civibus, ut unuſquiſque aliquid de ſuo ad complenda ſacrificia adderet; Phocion Athenienſis efflagitatori reſpondiſſe dicitur: Puderet, ſi vobis adderem; ac huic, cui debeo jure, nihil redderem. Sunt qui putent ſe Deo facere rem gratam, ſi ad cultum idolorum multos conferant nummos. At Phocion ſenſit, Deo multò gratius eſſet, ſi ſatisfacias iis quibus debes. *Plut. in Græc. Apoph.*

Pythagoricus quidam philoſophus coemens ſibi à ſutore calceos, non promptam habens pecuniam, orat, ut in craſtinum expectet diem: quo cùm veniſſet ſatisfacturus, audit ſutorem jamjam defunctum eſſe. Non faciens igitur mentionem pecuniæ, numos non invita manu domum, gratulabundus de facto jam lucro, retulit. Verùm cùm ſceleris conſcientia ſubinde torqueretur, arrepta pecunia, ad ſutoris tabernam regreditur, & pecuniam in ſutoris domum projiciens, ait: Tibi vivit, aliis qui defunctus eſt: ac ſic animum à conſcientia facti liberavit. *Eraſmus lib.6. Apoph.*

Jacobus Patius, in Florentina civitate primarius civis, inita contra Medicos conſpiratione, pridie ejus diei, quo inter conjuratos convenerat, ut cædes fieret, omnibus, quibus acceptas pecunias relatas habebat, ad aſſem ſolvendum curavit, ne cui unquam, ſi parùm ex ſententia conjuratio ſucceſſiſſet, ſua adverſa fortuna damno aut detrimento eſſet: quicquid mercium aut domi poſitum, aut apud ſcripturæ magiſtros ad alios pertineret, id ſumma religione ac fide, homo alioqui deorum contemptor, reſtitui dominis imperavit. Cum reliquis conjuratis deprehenſus, carnifici gulam laqueo frangendam porrexit. *Brutus lib.6. hiſt. Flor.*

EMPTIONEM ET VENDITIONEM.

Thuriaci mercaturam exercentes, abſque omni dolo vendunt omnia. Apud quos ſi quis domum emerit, ſacra facere in Apollinis Epicomæi fano: ſi verò prædium, in vico quem inhabitat; & jurare coram magiſtratu ſolet, quòd reverà juſtè emat, nec fraudulenter agat, nec arte dolovè utatur ullo. Eodem modo & magiſtratus quoque vendentem jurare jubet, quòd ſine malo dolo vendat. *Stob. ſerm.52. ex Theophraſti ſcriptis.*

Themistocles prædium diſtrahens, juſſit pronunciari: Etiam vicinum bonum illud habere. *Plut. in Apoph.*

Cornelius aſinam pecunia onuſtam in forum produxit, loco ſponſorum, cùm fundum emiſet. Unde Corneliæ genti Aſinæ cognomentum datum eſt. *Macrob. lib.1. Saturn. c.6.*

Q. Mutius Scævola Pont. Max. eloquentium juriſperitiſſimus, & juriſperitorum eloquentiſſimus, cùm aliquando poſtulaſſet, ut ſibi fundus, cujus emptor erat, ſemel indicaretur; idque venditor feciſet: dixit ſe pluris æſtimare, addiditque centum millia. Uſque adeò ab officio boni viri non diſcedebat. *Rutilius in ejus vita.*

Ajunt Carthaginenſes, locum eſſe Africæ extra columnas Herculis, habitatum hominibus: eò quoties ipſi applicuere, ſe merces è navibus exponere, eaſque in crepidine terræ deinceps collocare: tum conſcenſis navibus, fumum excitare: fumo autem conſpecto, indigenas ad mare contendere: dehinc auro pro mercibus depoſito, rurſus illinc è navibus egreſſos precium conſiderare, & ſi dignum mercibus videatur, eo ſumpto abire; ſi minus, conſcenſos iterum navibus ſecedere. Illos verò accedentes, plus auri ad id quod depoſuerunt, addere, donec perſuadeant. Neutros autem alteris injuriam inferre; neque enim ſe contigere merces priùs, quàm ipſi ſumpſerint aurum. *Herod. lib.4.*

Hermes philoſophus Ægyptius, auditor Syriani ſophiſtæ, condiſcipulus Proculi, ſub Hadriano principe, vir non minùs juſtitia quàm doctrina præditus, ſi quid empturus minùs juſto pretio addiceretur, ipſe nihilominùs juſtum promebat: ſi quid verò contrà, non ultra appetebat. *Svidas.*

Scoti veteres in privatis contractibus ita ſuum unicuique reddebant, ut ad definitam menſuram auctarium ſemper quoddam accederet. Qui mos adeò invaluit hoc tempore, ut contractum emptor diſrumpat, ſi denegetur. *H. Boet. in Scotia.*

PERMUTATIONEM.

Q. Fabius Max. captivos ab Hannibale interpoſita pactione nummorum receperat. Qui cùm à ſenatu non præſtarentur, miſſo in urbem filio, fundum, quem unicum poſſidebat, vendidit, ejuſque pretium Hannibali protinùs numeravit. Si ad calculos revocetur, parvum, utpotè ſeptem jugeribus, & hoc in Pupinia additis, redactum: ſi animo prærogantis, omni pecunia majus. Se enim patrimonii, quàm patriam fidei inopem eſſe maluit: eo quidem majore cum commendatione, quòd proni ſtudii certius judicium eſt, ſupra vires niti, quàm viribus ex facili uti: alter enim quod poteſt præſtat, alter etiam plus quàm poteſt. *Valer. Max. lib.4. cap.8. & Plut. in Fabio.*

MU-



MUTUUM, COMMODATUM, PRECARIUM.

☞ *Precarium eſt, ait Vlpian. quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quamdiu is qui conceſſit, patitur. Hotoman. de Verbis juris.*

Poſtquàm exules, duce Thraſybulo, urbem ejectis Tyrannis recuperarunt, & alia Athenienſibus curæ fuerunt: tum etiam de iis pecuniis (centum erant talenta) quæri placuit, quas cives mutuati eſſent à Lacedæmoniis, dum ſervire mallent, quàm ſua perdere. Interdicta concione, cùm multis æquum eſſe videretur, ut hi Lacedæmoniis ſatisfacerent, qui mutuò ſumpſiſſent: Populus tamen ſapientiſſimè ſancivit, ut id æs omnium commune eſſet. *Iſocrates in Areopagitico. Xenophon. lib.2. Æmilius Probus in Traſybulo, & Iuſtinus lib.10.*

Joannes pontifex Rom. à Theodorico Oſtrogotho ad Juſtinum Imp. legatus miſſus, cùm Corinthum adiiſſet, ac terra inde pergere vellet: manſuetum equum quærens, unum à nobili quodam viro, quem in uxoris manſuefaceret uſum, accepit, ea conditione, ut poſtquam ad certum locum veniſſet, eum remitteret. Quod cùm is præſtitiſſet, res incidit ad admirationem inſignis: quippè equus, qui ſanctum pontificem detulit, poſtea nunquam dorſo ſuo inſidentem mulierem paſſus eſt. Quare animadverſa, ille equum remiſit, orans, ut poſſideret, quem ſuum ſedendo feciſſet. Hujus hiſtoriæ S. Gregorius eſt auctor, *lib.3. Dial. c.2. Sigonius lib.19. Imp. occid.*

Locationem, Conductionem Rerum Operæve.

Tobias junior Raphaeli angelo, quem Azariam eſſe putabat, mercedem liberaliter ſolvere volebat, dimidium decem talentorum argenti, quod è Media attulerant; nimirùm quinque talenta: cùm pactus tantùm cum eo fuiſſet drachmam in ſingulos dies. Verùm Raphael argentum repudiavit, & ſe quis eſſet, declaravit. *Tobiæ 12.*

Aristoteles nono Moralium Nicomachiorum, narrat Protagoram cum nemine diſcipulorum ſolitum paciſci, verùm ubi jam dediſſent, quæ volebant, jubebat ipſos diſpicere, quanti æſtimarent ea quæ didicerant: & quicquid ab illis dabatur, accipiebat. *Eraſmus in Adagiis.*

Apollonius Alabandenſis rhetor mercede docens, quos ad rhetoricam ineptos eſſe videret, amicè dimittebat, & ad quam apti viderentur artem, eam ut amplecterentur, perſuadebat. *Cic. de Oratore.*

Architectus quidam Venetiis geminas columnas ex Oriente advectas, quæ diù jacuerant, nemine eas erigendi & ſtabiliendi provinciam ſuſcipiente, attollere ſe velle promiſit, annuum ſalarium & ſplendidas ædes præmium pactus, inſuper ut omnibus impunè in earum baſibus ludere liceret. Erexit: erectas, alteram D. Marco, alteram D. Theodoro dedicarunt Veneti: annuum ſalarium decreverunt: ludendi quoque impunitatem non niſi longo poſt tempore ſuſtulerunt. *Egn. lib.8. c.13.*

Alfonsus Atestinus, dux Ferrarienſis, ſe creditorem exiſtimari malle, quàm debitorem, profitebatur: ideòque militi ſua ſemper ſtipendia incorrupta fide ad diem perſolvit, & nunquam optimarum artium profeſſoribus, qui in Gymnaſio juventutem docerent, conſtituta præmia retardavit. Sic enim ſibi cùm ſecuritatis, tum dignitatis ſuæ rationem conſtare exiſtimabat: quarum alteram fide militum parari, alteram autem præclara florentis gymnaſii exiſtimatione ſuſtentari, nunquam honeſtæ laudis oblitus, arbitrabatur. *Iovius in Alfonſ. Ateſtin.*

DEPOSITUM, FIDEICOMMISSUM. TUM REGNI.

Pittacus, tyrannide ſibi à civibus delata, tamdiù illud imperium ſuſtinuit, quamdiù bellum de Sigæo cum Athenienſibus gerendum fuit. Poſtquam autem pax, victoria parta eſt, licèt reclamantibus Mitylenæis, depoſuit: ſed & recuperati agri dimidiam partem conſenſu omnium oblatam reſpuit. *Valerius Maxim. lib.6. c.8.*

Cinnami Parthi fidem in regno ſibi commiſſo Artabano reſtituendo, *pete ex Tit. Fidei erga ſupplices.*

Abdicaverat ſeſe ducatu in Venetiis Joannes Participatius. Conſternata dein civitate Candiani ducis caſu, qui in Naretanis cum tota claſſe victus mortem occubuerat: populi rogatu tantiſper dum novus princeps crearetur, honoris inſignia recepit, ne quam interim cladem adiret reſpublica; erexitque hortatu & præſentia ſua cives mœrore affectos. Mox verò ubi novus eſt dux in demortui locum ſuffectus, ultrò ſeſe in ordinem redegit: docuitque præclarè, ut prodeſſe poſſis tuis, non præeſſe, publicos honores experi oportere. *Sab. lib.7. c....*

Baldvinus Burgenſis, tertius Hieroſolymorum rex, mortuo Rogerio (propter puerilem ætatem Boemundi junioris, qui Rogerii nepos Boemundo ſeniore patre natus erat, & ea tempeſtate in Apulia agebat) ab Antiochenis civibus datam Antiocheni principatus adminiſtrationem ſuſcepit, ingenti impendio periculoque principatum defendit: à Turcis captus, biennio poſt magno auri pondere ſe redemit. Cùm autem ad eum Boemundus junior, repetendi principatus gratia, veniſſet, liberè ſtatim illum ei reſtituit, quem à Rogerio patruo antea impetrare nequiverat. *Fulgoſ. lib.6. c.5.*

Tancredus Normannus, cùm apud Boemundum patruum Antiochiæ principem, in Syria eſſet, Boemundo in prælio à Sarracenis capto, tres annos principatum rexit: auctiſque finibus, auctoque theſauro, grandi pretio patruum redemit, eique omnia reſtituit. *Æmilius, & Fulgoſus, & Egnatius lib.6. c.5.*

URBIS.

Acceperat Franciſcus Sforcia à Philippo Mediolanenſium duce Blancam ejus filiam uxorem, illegitimo thoro natam: Cremonamque urbem, Cremonenſemque agrum omnem in dotem acceperat: celebratis nuptiis, profecturus in Umbriam atque Hetruriam cum exercitu, Cremonam Venetis commendavit. Illi curam eam ſuſcepere: nec dubitarunt bellum etiam cum Philippo gerere, qui iniquiſſimo ferebat animo, ſe ſocerum à genero ſuo contemptum eſſe, Venetoſque ipſos intra ſuos etiam fines ſibi eſſe celebri tutela præpoſitos. *Egnatius lib.6. c.6.*

ARMORUM.

Neoptolemus Achillis F. à Græcis cum Ulyſſe ad Philoctetem in Lemno inſula pro recuperandis ſagittis Herculis, ſine quibus Troja capi non poterat, miſſus, Ulyſſis conſilio ſimulavit ſe odio Græcorum in patriam fugere, & Philoctetem comitem ſibi adjungere velle. Philoctetes fidei illius ſagittas committit. At poſtquam Ulyſſes Philoctetem vel vi cogere, ut Trojam ſecum navigaret, vel eo relicto cum ſagittis abire vellet: Neoptolemus pœnitentia ductus, quòd Philoctetem exarmaſſet, vel invito Ulyſſe ſagittas ei reddidit, & verbis ei perſuaſit, ut præſentia ſua Græcis in evertenda Troja ſubſidio eſſet. *Sophocles in Philoctete.*

PECUNIÆ.

Cadmus Scythæi F. Cous, à Gelone Syracuſiorum tyranno cum tribus biremibus & magna pecuniæ vi miſſus eſt Delphos (quo tempore Xerxes Helleſpontum cum exercitu tranſmiſerat) ut ſi barbarus vinceret, regi terram aquamque eorum locorum, quibus Gelon imperabat, traderet; ſin vincerent Græci, pecuniam reportaret. Itaque cùm victo Xerxe tantam pecuniam invertere potuiſſet, & Coum redire, ex qua ſponte depoſita tyrannide exulatum ierat, noluit, ſed in Siciliam ad Gelonem reverſus eſt. *Herod. lib.7.*

Arnaldus Gerardus Catalanus, cùm in nave ſua operaria Guilielmum Auriam ferret, quo tempore Piſani Genuenſeſque gravi inter ſe bello diſſidebant: à Piſanorum navibus captus, quæ Genuenſium tantùm merces ac bona quærebant; nec minis nec promiſſis adduci unquam potuit, ut duo millia & quadringentos aureos numos, qui Duplices appellantur, detegere vellet: quam pecuniam, dum ab hoſtibus oppugnaretur, Gulielmus Auria ei commendaverat; quia norat Piſanos non in Catalanorum, ſed ſolùm in Genuenſium bona invehi. Arnaldus igitur, poſteaquam eum Piſani dimiſerunt, ſecum eam pecuniam ad Genuenſes ſimul deferens, ut primùm in Baleares pervenit, pecuniam tanto labore ſervatam, Conſuli Genuenſium in Balearibus obtulit, ut ipſe eam Gulielmo reſtitueret. Genuenſes Arnaldum civitate, multiſque aliis commodis, ſcripto honorificis verbis diplomate, donarunt. *Fulgoſ. lib.6. c.5.*

DOMUS.

Ann. Chriſti 1486. Armenii qui Venetias venerant, tabellas teſtamentarias, Ziani principis tempore ab homine Armenio confectas, ædis Marciæ procuratoribus oſtenderunt: quibus tabellis domum in urbe demortui pecunia emere procuratores jubebantur, quam quidem domum Armenii ad urbem venientes incolerent; eamque poſtea domum cum ſacello emptam ad Juliani fuiſſe in Laternarum via, quæ tunc à procuratoribus locetur: itaque illam ipſam domum ſibi reſtitui ex teſtamento petierunt. A procuratoribus intellecta eorum poſtulatione, domus eſt Armeniis reſtituta, atque ab iis incoli cœpta. Ipſi à civitate comiter & liberaliter accepti, gens tam longinqua, urbi amico ſpectaculo fuerunt. *Bemb. lib.4. Ven. Hiſt.*

TABU-

A

## TABULARUM TESTAMENTI.

Titius & Plancus M. Antonii ex conſularibus amici, à Cleopatra ſuggillati, quòd plurimùm fuiſſent adverſati, ne bello intereſſent, perfugerunt Cæſarem, & teſtamentum Antonii detexere, contentorum conſcii. Tabulæ depoſitæ apud virgines Veſtales erant, quas poſcenti Cæſari denegaverunt illæ tradere: ſi accipere vellet, ipſe veniret, mandaverunt. Illuc ergo profectus accepit tabulas. Ac primùm ipſe ſeorſum ſcripta evolvit, ac loca quædam annotavit reprehenſioni patentia. Advocato inde ſenatu, recitavit ea, pleriſque id moleſtè ferentibus. Indignum enim videbatur & grave, rationem ut quis redderet vivus poſtremorum ſuorum judiciorum. Exagitavit in tabulis illud præcipuè, quod de funere ſuo ſtatuerat. Præſcripſerat enim, ut corpus ſuum, etiamſi in urbe deceſſiſſet, per forum elatum, Alexandriam mitteretur ad Cleopatram. *Plut. in Antonio.*

## ARCANI.

Mira fide ſecreta Perſis celare moris fuit, quippè quibus vetus diſciplina ſilentium capitis periculo ſanxerat. Nullum probrum B gravius, quàm linguæ, apud eos vindicatur: graviſſimo ſupplicio dignos arbitrati, quibus grave eſſet tacere, quod homini facillimum natura voluiſſet. *Sabell. lib.4. Ennead.4. ex Curtii lib.4.*

Ἀρεοπαγίτου στεγανώτερος, id eſt, Areopagita taciturnior, dicebatur, qui commiſſum arcanum optimè contineret; στεγανὸς enim dicitur, non qui tacet ipſe, ſed qui continet arcanum, nec effutit uſquam. Translatum eſt à vaſis ſolidis, nec ulla ex parte perſtillantibus. Athenis in Areopago cauſæ capitales audiebantur, idque noctu, magna attentione. Et fortaſſis nefas erat illis, quæ ibi fuiſent acta, apud vulgus effutire. Extant & hodie apud Vveſtphalos reliquiæ generis Judicum. Certi vulgò dicuntur. Qui in hunc ordinem admittuntur, magna religione adiguntur ad ſilentium. Eſt enim ratio quædam deprehendendi crimina, quam nullus intelligit, præter illos juratos. *Eraſmus in Adagiis.*

Euripides, cuidam opprobranti graveolentiam oris: Multa nimirùm, inquit, in illo occulta computruerunt. Significans, ſe poſſe continere arcana. Solent autem res in occulto congeſtæ computreſcere. *Eraſm. lib.8. Apophth.* Idem De- C moſtheni tribuunt alii.

Demetrius, Antigoni Aſiæ regis F. ſilendi juramentum ſervavit, quod patri dederat in tacendo conſilio ejus de Mithridate interficiendo, quando ex unico ſaltem ſomnio ipſi ſuſpectus fuerat redditus. Nec enim id verbis Mithridati revelavit, ſed ubi ſoli ſine arbitris fuerunt, haſtili in ſolo, inſpiciente illo, deſcripſit, Fuge Mithridate. *Plut.*

Romani cum Pyrro bellum gerentes, Timochare offerente, ſe Pyrrhum veneno necaturum, Pyrrhum ut ſibi caveret monuerunt; neque tamen Timocharis nomen indicarunt: quòd turpe eſſe judicarent, eum, qui operam ſuam illis obtuliſſet, hoſti prodere. *Valer. Max. lib.6. c.5.*

Romani adeò magna charitate patriæ tenebantur, ut patrum arcana conſilia multis ſeculis nemo ſenator enunciaverit. Q. Fabius Maxim. tantummodò, & is ipſe per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod ſecretò in curia erat actum, P. Craſſo rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio antè quæſtorem factum, ignaruſque, nondum à Cenſoribus in ordinem Senatorum electum, quo uno modo etiam iis qui jam honores geſſerant, aditus da- D batur. Sed quamvis honeſtus error Fabii eſſet, vehementer tamen à Coſs. objurgatus eſt. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutiſſimum adminiſtrandum rerum vinculum, labefactari volebant. *Val. Max. lib.2. c.1.*

Cùm Aſiæ rex Eumenes, amantiſſimus Romanæ urbis, bellum à Perſe adversùs P. R. comparari Senatui nunciaſſet: non antè ſciri potuit, quid aut ille locutus eſſet, aut patres reſpondiſſent, quàm captum Perſen cognitum eſt. Fidum erat & altum Reipublicæ pectus, cura ſilentiique ſalubritate munitum, & vallatum undique: cujus limen intrantes, abjecta privata charitate publicam induebant. *Valer. Max. lib.2. c.1.*

Papyrus Prætextatus à patre in Senatum ductus, ſecreta matri efflagitanti aperire noluit. *Macrob. lib.1. Saturn. c.6. & Gellius lib.1. c.23.*

Portia M. Bruti conjux, ultroneo vulnere conſtantiam ſuam exploravit, an reticere magna ſecreta poſſet; & ubi vulnus ſe tacere & celare poſſe intellexit, tum ex viro rogare eſt auſa, quænam animo tam anxius volveret; conſiliumque Cæſarianæ necis commiſſum ſibi à Bruto, æquè tenaciter fide- E literque, ac quivis conſpiratorum, tacuit. *Lud. Vives de Chriſtiana fœmina lib.2. ex Plut. Bruto.*

Plantius Lateranus, Piſonianæ conjurationis adversùs Neronem particeps, cùm ad mortem à Tutio tribuno, ejuſdem conjurationis conſcio, duceretur, non modò eum non detexit, verùm ne verbum quidem dixit, aut aliquid innuit, unde Tutius in ſuſpicionem venire poſſet. *Fulg. lib. 3. cap.8.*

Epicharim, ſcribit Tacitus & Xiphilinus, conſciam Piſonianæ conjurationis ſub Nerone, juſſam tormentis dilacerari, ut indicaret: primo die non verberibus, non ignibus, non ira, eò acriùs torquentium, ne à fœmina vincerentur, commotam, ut aliquid ſe ſcire confiteretur. Poſtero die, cùm ad eoſdem cruciatus retraheretur, geſtamine ſellæ (nam diſſolutis membris inſiſtere nequibat) vinculo faſciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit cervicem, & corporis pondere connixa, tenuem jam ſpiritum expreſſit. *Vives lib.1. de Chriſt. fœm.*

Eudamidas Corinthius pauperrimus, Aretæum Corinthium & Charixenum Sicyonum amicos ſuos opulentiſſ. hæ- F redes ſcripſit hunc in modum: Lego Aretæo quidem matrem meam alendam, atque in ſenecta fovendam: Charixeno verò filiam meam elocandam cum dote, quanta ab illo maxima dari poterit: Si quid autem interim acciderit alterutri, hujus quoque patrem alter habeto. Illi ego cùm rata eſſe juſſiſſent ea, quæ teſtamento fuerant ab amico legata, Charixenus quinque duntaxat diebus ſupervixit. Aretæus & matrem Eudamidæ aluit, & filiam ejus duobus talentis è ſuo dotatam, honeſtiſſimè elocavit. *Lucianus in Toxari.*

Primo Senatuſconſulto, quo Gordiano ſeni, & ejus filio Auguſtorum appellatio cum imperio eſt decreta contra Maximinum, adeò occultè ſunt omnia in Senatu acta, ut non ſcribæ, non ſervi publici, non alii publicorum conſiliorum miniſtri ſint tum in curiam admiſſi; ſed ſenatores omnibus amotis arbitris, illorum munera obirent, ne quid eorum quæ fierent, proderetur. *Sab. lib.7. En.7.*

Quidam de cubiculariis Leonis Philoſophi Imp. nomine Rodophyllus, neceſſariæ rei cauſa in Siciliam miſſus cum C. auri libris: in itinere morbo correptus, Theſſalonicam ſe contulerat curandi corporis cauſa, Eum Tripolita Agare- G norum dux ibi tum captum, ejus auri cauſa diu tortum, cùm ſe quicquam habere pernegaret, necavit. Et verò aurum in itinere Rodophyllus reliquerat, idque Simeon ſecretarius eà tranſiens ſuſtulerat. Hic Simeon Tripolitam urbis everſionem animo agitantem hortatus eſt, ut excidio abſtineret, eoque nomine aurum illud acciperet: ac perſuaſit. Quod Simeonis factum ita gratum fuit Imperatori, ut eum patricii ac ſecretarii primarii dignitate remuneratit. *Cedrenus.*

Nefas apud Hiſpanos habetur, poſt evictam à Senatu ſententiam, mentionem de iis facere, qui ab ea ſententia, quæ ſuperata eſt, ſteterint. *Laur. Valla lib.2. Hiſt.*

Judices Conſcii à Carolo Magno inſtituti, taciturni ad miraculum uſque. *Vide Tit. Judices juſti.*

Turci noctu quendam comprehenſum de Bladi Draculæ, qui in caſtra impetum fecerat, militibus, deduxerunt ad Mahumetem II. Imp. qui eum interrogavit: Quiſnam & cujus ſit, & unde veniat? Qui ubi ad ſingula reſpondit, tandem juſſus eſt dicere: Si ſciret, ubinam Bladus Daciæ princeps moraretur? Is reſpondit: Se quidem quæ ſcire expetant, H exactè noſſe; verùm numquam id enunciaturum: adeò metuere ſe virum illum. Mortem intentantibus, ingeminavit: Non audere ſe quicquam eorum profari. Mahumetes admiratus viri conſtantiam, eum continuò necavit, dicens: Si vir ille exercitum haberet memorabilem, non dubito, quin brevi ad magnam claritatem evaderet. *Chalcondylas lib.9.*

Carolo IX. poſt regnum Neapol. occupatum in Galliam reverſuro, Veneti cum Pontifice Alexandro VI. Maximiliano Imp. & Ludovico Mediolanenſi principe fœdus percuſſere tanto ſilentio, ut Philippus regis Gallorum legatus, cùm Venetiis in curiam quotidie ventitaret, atque ab legatis reliquis appellaretur, nihil ejus tamen cognoſcere potuerit. Itaque cùm poſtridiè ejus diei, quo die ſcripta lex eſt, in curiam vocatus, è principe fœdus eſſe percuſſum intellexiſſet, & nomina fœderatorum cognoviſſet, mens penè hominem reliquit: tametſi princeps ei dixerat, ea quæ feciſſent, non proptereà eſſe facta, ut bellum cuiquam inferrent; ſed ut, ſi inferretur, propulſarent. Demùm is revocato ad ſe pauliſper animo: Quid,

inquit,



A inquit, meus rex in Galliam reverti non poterit; tum Princeps: Ille verò, inquit, poterit, ſi redire amicus volet; noſque illum rebus omnibus juvabimus. Quo reſponſo accepto, diſceſſit: atque ubi curia egreſſus, remenſis quas aſcenderat, ſcalis, in aream deſcendit, ad Scribam Senatus, qui eum comitabatur, converſus: Rogo te, inquit, ſodes, mihi eum ſermonem recenſeas, quem princeps mecum habuit; nihil enim jam ejus memini. *Bembus lib.2. Ven. Hiſt.*

Mediolanenſi bello, quod primum cum Philippo Vicecomite Veneti geſſere, dictus eſt Imperator totius exercitus à Senatu Franciſcus Carmaniola, rei bellicæ peritiſſimus. Qui fuſis apud Maclodium memorabili acie Philippi copiis, & receptâ Brixia, ut vix ille intra Abduæ ripas imperium tueretur ſuum: mutato animo, partim accuſare Senatum Venetum audaciùs, & legatis ipſis in caſtris inſultare; partim rem Venetam ita negligere cœpit, ut proditionis ſuſpectus haberetur. Venetias vocatus de pace cum Philippo agendi prætextu, cùm per octo menſes de illius proditione quotidie inquireretur, nunquam tamen ille tale quippiam ſuſpicari potuit: donec Senatus conſilio facto, quum omnia certis nunciis, & Carmaniolæ ipſius B literis conſtarent: ipſe poſt XXX. dies, quàm cuſtodiæ mancipatus erat, intra duas columnas ſecuri percuſſus, meritas perfidiæ ſuæ pœnas luit. *Egnatius lib.2. cap.1. & Sabell. lib. 2. Ennead.10.*

Continentis imperio exuti Veneti principum Chriſtianorum conſpiratione, de recipiendo Patavio per aliquot dies tanta egere taciturnitate, ut vel quotidie commeantibus Patavinis Venetias, Venetis Patavium, non priùs occupandi Patavii conſilium innotuerit, quàm hinc Andreas Grittus legatus cum exercitu, illinc frequentibus per Medoacum lembis ſubvecti Veneti urbem occuparunt. Confecta res eſt die XVII. Julii menſis, quæ divæ Marinæ ſacra habetur: in cujus memoriam Patres decrevere, ut dux ipſe cum Senatu magnifica pompa ædem Marinæ viſeret. *Ibidem.*

Quum Venetiis ageretur in decemvirali conſilio de principatu abrogando Fr. Foſcaro duci, ne qua ſuſpicio manare in vulgus poſſet, hoc à patribus agi, Marcum Foſcarum fratrem ejus amantiſſ. D. Marci procuratorem, ſingulis diebus eò advocari jubebant: ſed cubiculo incluſum diligentiùs aſſervabant, adactum gravi pœna, ne quid tale proderet. Memor ille fidei, C quam patriæ dederat, ſilentium obſtinatè tenuit: cæterùm non multò poſt mortem fratris, qui tertio abdicationis die periit, diem ſupremum obiit. *Egnat. lib.5. c.5.*

## TESTAMENTA, LEGATA.

Augustus adhuc adoleſcens, ab M. Antonio millies HS (quam pecuniam domum ſuam aſportaverat Antonius) repoſcebat, ut repræſentaret populo Romano legatum Cæſaris, viritim trecentos numos. Incubante autem argento Antonio, atque repetitionem iſtam, ſi ſaperet, ut miſſam faceret, conſulente, patrimonium ſuum diſtraxit, legatoque ſoluto, ſtudium ſibi, illi civium conciliavit odium. *Plut. in Apoph.*

Caligula legata ex teſtamento Tiberii, quanquam abolito, ſed & Liviæ Auguſtæ, quod Tiberius ſuppreſſerat, cum fide ac ſine calumnia repræſentata perſolvit. *Suetonius.*

Cùm Sabina Romana in teſtamento ſcripſiſſet: Modeſto ſervo meo, cui ut libertas daretur ordinavi, talem rem lego: & cùm ea mortua ſcriptum nihil eſſet inventum, neque teſtes apparerent, qui liberationis Modeſti fidem aliquam facerent; D Plinius Secundus inter præcipuos hæredes, voluit, ut Modeſtus libertate donaretur, legatumque à Sabina relictum acciperet. Sabinæ enim voluntatem, quàm expreſſa ipſius voluntatis verba, quæ non inveniebantur, ſequi ſatius duxit. *Fulgoſus lib. 7. cap.8.*

Eulalius quidam, de divite pauper factus, moriturus Juſtinum Thracum Imp. hæredem teſtamento nominavit, juſſitque tribus ſuis filiabus, quas parvulas relinquebat, educationem eum ac dotem præbere, omnia ſua debita creditoribus perſolvere, & ab iis ſyngraphas ſuas redimere. Quæ omnia Juſtinus regia munificentia perfecit, magna omnium, qui rei famam percipiebant, admiratione. *Cedrenus in vita Juſtini.*

Divi Marci Procuratores, ſunt ſupremæ dignitates penes Remp. Venetam, qui ferè duces, ubi contigerit principem ſuum obire, declarari ſolent. Horum præcipuum eſt munus, ut civium teſtamenta ſumma fide tueantur, ac colant, exequendaque in primis curent. Quorum fides tantùm brevi eluxit, ut etiam apud exteras gentes plerique principes viri & fœminæ tutores eos eſſe juſſerint. Sic Viridis Scalane, ſic Dominicus Malateſta Ariminenſis princeps, ſic Regina Daciæ. *Egna-* E *tius lib.6. c.6.*

Tutelam. Tutores Fidi.

Cùm Polydectes Lycurgi frater natu major diem ſuum obiiſſet, ad Lycurgum Spartæ regnum pervenit. Verùm cùm fratris ſui uxorem relictam in utero habere comperiſſet, ad fœtum conceptum, ſiquidem maſculus eſſet, regnum pertinere: exiſtimans, ipſe tutoris loco (orborum autem parentes regum Procuratoris πρόδικοι Spartanis appellantur) regnum adminiſtravit. Submiſit autem ea mulier clàm, qui Lycurgo indicarent, paratam ſe ad abolendum fœtum, ut ipſi Spartæ regnum tenenti nuberet. Lycurgus mulieris conſilium ſe probare ſimulavit: nolle tamen ſe ipſius matris periculo id fieri, in procurando abortu, affirmavit; quin potiùs pareret: ut partus confeſtim è medio tolleretur, ſibi curæ fore. Hac ratione fœminam uſque ad diem partus ducens, miſit qui enitenti adeſſent: pueroque ad ſe inter cœnam allato: Rex vobis, ò Spartani, natus eſt, clara voce exclamavit: eumque in loco regio depoſuit, & Cherilao nomen impoſuit, proptereà quòd omnes magnitudinem animi & juſtitiam Lycurgi cum gaudio & gratulatione admirarentur. *Plut. in Lycurgo, & Strabo lib.10. Geographiæ.* F Sed quia major omninò erat Lycurgo auctoritas, quàm tutoris eſſe ſoleat, eò gravior invidia eſt illi à Leonida pueri avunculo, & aliis matris neceſſariis orta, illum ſedulò ad populum criminantibus, velut pupillaris tutelæ prætextu ambitioſè quæreret, ut fratris filio quodammodò expuncto regnum occuparet. Ea res cauſam illi præbuit diutiùs peregrinandi, ut tamdiù abeſſet, quoad puer ad eam perveniſſet ætatem, qua per ſe hæreditarium regis nomen tueri poſſet. *Sabell. lib.1. Ennead.2.*

Hiero Syracuſanorum rex, cùm Syracuſas accerſiſſet filios Anaxilæ, Zanclis quondam domini, eos hortatus eſt, cùm jam ætate vigerent, ut ratione cum Micytho tutore ſuo inita, dominationis jus adminiſtrationemque ſuſciperent. Hi Rhegium regreſſi, ita ut moniti erant, rem properant. Acitus ad rationem reddendam Micythus, calculum adeò integrum ſincerumque produxit, ut adoleſcentes pudore & pœnitentia ducti, obteſtarentur eum, uti ei rurſus placeret, dominationis (ut priùs) curam ſuſcipere. At Micythus cùm diligentiſſimè cuncta reſtituiſſet, Rhegio cum ſumma omnium benevolentia diſceſſit, & Tegæis Arcadiæ exceptus, vitam cum laude traduxit. *Diodorus lib.11.*

Cùm Ptolemæus rex tutorem pop. Rom. filio reliquiſſet, Senatus M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis coſſ. ad pueri tu- G telam gerendam Alexandriam miſit, ampliſſimique & integerrimi viri ſanctitatem, Reipub. uſibus & ſacris comparatam, externæ procurationi vacare voluit, ne fides civitatis Romanæ fruſtra petita exiſtimaretur. Cujus beneficio regia incunabula conſervata pariter ac decorata, incertum Ptolemæum reddiderunt, patriſne fortuna magis, aut tutoris majeſtate gloriari deberet. *Val. Max. lib.6. c.6.*

Poſt mortem Arcadii Imp. Græcorum, Iſdigerdes Perſarum rex, Theodoſio pupillo à patre datus tutor, Antiochum cæteris eunuchis in aula ſua honoratiorem miſit ad procurationem & cuſtodiam Theodoſii, literis magiſtratus & primores commonefaciens, ut regi ſuo parerent: minas adjiciens, & vindictam, ſi id detrectarent. *Cuſpinianus A. D.*

Ferdinandum, qui poſtea per creationem ad Aragonium regnum conſcendit, Henricus frater Caſtulonenſis rex tutorem filio puero reliquit. Is autem regnum tanta juſtitia rexit, quòd in magno Caſtulonenſium conventu actum eſt, ut ad ipſum Hiſpanienſis regni titulus deferretur. Quem honorem cùm ſe accepturum oſtendiſſet, omneſque in locum rei agendæ deſignatum conveniſſent: ipſe ingentem chlamydem regio H more amictus, in qua nepotem puerum occultabat, cùm omnium ſententiam poſtulaſſet, quæ ejuſmodi fuit, ut ad ipſum Hiſpaniarum regnum deferretur: repentè nepotem parvum è chlamyde extulit, & cùm collo ſuo impoſuiſſet, exclamavit: En Caſtulonenſes regem veſtrum; humique procumbens, regem ſalutavit, & nepoti regnum, ſibi juſtitiæ famam illæſam ſervavit. *Fulgoſ. & Egnat. lib.6. c.5. Valla* tamen *lib.1. Hiſtoriarum*, tutorem relictum negat.

Valdemari filii, ad Sveonum & Gothorum regnum evecti, adoleſcentiam Birgerus Oſtrogothus dux pater tam præclarè moderatus eſt, ut regnum eo vivente feliciſſimum, poſt ejus fata fraternis diſſidiis ferè corruerit. *Jo. Magnus lib.19.*

Fridericus Marchio Brandeburgenſis erga Caſimirum Lituaniæ ducem pupillum fidus, Poloniæ regnum ſibi oblatum illi conſervavit. *Æneas Sylvius cap.26. Europæ, & Fulgoſus lib.4. c.1.*

Fridericus III. Imp. Ladiſlai pueri, Pannoniorum & Boemorum

morum

A morum regis, Alberti II. Imp. poſthumi, tutelam ſuſceperat. Nec defuerunt perverſæ mentis homines, qui perdendum ſuaderent puerum, cujus vita ingentes moleſtias Cæſari, mors regna & opes maximas allatura eſſet. Ad quos ille: Ergo me inquit, opulentum magis regem, quàm pium, quàm juſtum cupitis? At ego bonum nomen cunctis divitiis antepono. *Æn. Sylv. lib.3. Com. in Panormit.*

## PATROCINIUM, FIDES ERGA CLIENTES.

Romani clientem in fidem acceptum chariorem haberi, quàm propinquos, cenſuere, atque etiam contra cognatos tuendum. Neque majus aliud facinus æſtimatum eſt, quàm ſi quis probaretur, clientem deriſui habuiſſe. *Gell. lib.20. c.1.*

Iidem olim primum poſt parentes locum pupillis, fideique noſtræ creditis, ſecundum clientibus dabant. Propterea M. Cato ſcripſit, majores ſanctius habuiſſe defendere pupillos, quàm clientem non fallere. Attamen Naſſurius Sabinus in libro juris Civilis III. antiquiorem locum tribuit hoſpiti, quàm clienti, inquiens: In officiis apud majores ita obſervatum eſt, B primùm tutelæ, deinde hoſpiti, deinde clienti, tum cognato, poſtea affini. *Gellius lib.5. c.10.*

Studium, & fides erga clientes, C. Julio Cæſari ne juveni quidem defuerunt. Maſintham nobilem juvenem, cùm adversùs Hiempſalem regem tam enixè defendiſſet, ut Jubæ regis filio in altercatione barbam invaſerit, ſtipendiarium quoque pronunciatum, & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultavitque apud ſe diu: & mox ex prætura proficiſcens in Hiſpaniam, inter officia ſtatim proſequentium, faceſque lictorum lectica ſua evexit. *Svetonius.*

## LITEM PERSEQUENDO.

☞ *Hic contractum veluti litis ſuſceptæ conſideremus. Reſpectu controverſiæ quæ litis ſuſceptione componenda eſt, ad correctivam juſtitiam pertinet, ubi etiam de juſtis Judicibus agitur.*

Aristides cùm inimicum judicio perſequeretur, abnuentibus poſt accuſationem judicibus rem audire, ſed confeſtim in eum ferre parantibus ſententiam, exiliit, atque unà cum illo C ſupplicavit, ut audiretur, & legitimè cum eo ageretur. Aliàs cùm judex ſederet inter duos privatos, & alter adverſarium diceret multas injurias Ariſtidi obtuliſſe: Quin tu bone vir, dixit, profers potiùs, ſi quid admiſit in te: tibi enim, non mihi ſum judex. *Plut. in Ariſtide.*

Agesipolis Spartanorum dux, in lite erga Athenienſes fide Athenienſium plurimùm tribuit. Cùm enim Athenienſes querimoniarum, quas cum ipſo mutuas habebant, arbitram delegiſſent Megarenſium civitatem, quæ controverſiam inter eos componeret: Turpe, inquit, ſi Megarenſes meliùs norunt, quid juſtum ſit, quàm hi qui ſe Græcorum duces ac rectores præſtitiſſent. *Plut. in Lacon. Apoph.*

## TESTIMONIUM.

☞ *Fidei hic ratio habetur. At veritatis reſpectu ad φιλαλήθειαν quoque pertinet.*

## DICENDO.

Apud Lycios in judiciis teſtimonia non ſtatim, ſed poſt menſem demùm proferebantur: ne quis diceret, rei feſtinatione perD motum fuiſſe, ut non præmeditatus teſtimonium parùm juſtum proferret. *Stob. ſer.42. ex Nicolao de Gentium moribus.*

Xenocrati philoſopho tanta fides habita eſt, ut cùm nullius injurati teſtimonium admitteretur, Athenienſes ſine juramenti religione ei aſſentirentur; eumque injuratum, quòd minimè ſuſpectæ fidei eſſet, in fidem atque officium admitterent. *Alex. ab Alex. lib.5. c.10.*

Q. Scævola excellentiſſimus vir, teſtis in reum productus cùm id reſpondiſſet, quod ſalutem periclitantis magnoperè læſurum videbatur, diſcedens, adjecit: Ita ſibi credi oportere, ſi & alii idem aſſeveraſſent: quoniam unius teſtimonio aliquem credere, peſſimi eſſet exempli. Et religioni igitur ſuæ debitam fidem, & communi utilitati ſalubre conſilium reddidit. *Valer. lib.4. c.1.*

L. Lucullus teſtimonium verum dedit de Chæronenſibus, quòd immunes eſſent à cæde Romani ducis (quem Damon quidam Peripoltas, cum quibuſdam aliis infecta fuligine facie, ob intentatum ſibi ſtuprum, in publico foro ſacrificantem interfecerat) quando contra Mithridatem proficiſcens, & fortè illac tranſiens, quæſtione habita, civitatem reperit non ſolùm inſontem, verùm etiam, cùm eos capitis damnaſſet E judicio, pariter violatam. Audientes enim illi latam de ſe ſententiam, facta in curiam irruptione, magiſtratus de more unà cœnantes contrucidarant, iterùmque ex oppido ſe retraxerant. *Plut. in procœmio Cimonis & Luculli.*

Cùm Metellus Nepos objiceret Ciceroni, plures ipſum teſtimonio ſuo oppreſſiſſe, quàm ſervaſſe patrocinio: Fateor, inquit, plus mihi fidei quàm eloquentiæ eſſe. *Plut. in Ciceron.*

## AUDIENDO.

Teſtis unus apud Iſraelitas non audiebatur, ſed ex ore duorum aut trium teſtium res confirmabatur. *Deut.19.*

## NON AUDIENDO, REPUDIANDO.

Cn. & Q. Cepionibus, L. & Q. Metellis teſtibus, in Q. Pompejum novum hominem, Judices ſapientiſſimi non crediderunt: nam eorum virtuti, generi, rebus geſtis fidem & auctoritatem in teſtimonio, cupiditatis atque inimicitiarum ſuſpicio derogavit. M. Æmilii Scauri, cujus injurati nutu propè terrarum orbis regebatur, teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium, neque in C. Flavium, neque in C. Norbanum creditum eſt. Noluerunt enim ii qui judicabant hanc F patere inimicitiis viam, quem quiſque odiſſet, ut eum teſtimonio poſſet tollere. L. Craſſus, cujus etiam ſermo teſtimonii auctoritatem habebat, teſtimonio ipſo, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. *P. Ærodius ex Cicerone pro M. Fontejo: & Val. lib.8. c.5.*

Nec alibi, nec apud Rom. potiſſimùm, id unquam admittendum eſſe viſum eſt, ut ſalus ac vita dominorum ab eorum arbitrio pendeat, in quos ipſi domini poteſtatem vitæ ac necis habuiſſent: & quos nunc etiam periculo capitis ſuis dominis cuſtodiam præſtare neceſſe eſt, ut hi vel torti, vel indices, ſive deferant, ſive accuſare velint, denique ulla ratione in caput dominorum audiantur. Itaque & Cn. Domitius Tribunus pleb. cùm M. Scaurum, & L. Craſſus Cn. Carbonem accuſarent, ad eoſque reorum ſervi adveniſſent, totam multis & gravibus inſtructuri dominorum criminibus accuſationem, non admiſerunt; ſed vinctos, ut hi pro imperio ſuo vindicarent, ad dominos remiſerunt. *P. Ærodius ex Val. Max. lib.6. c.5.*

T. Quintio Capitolino & A. Furio Coſſ. accidit, ut Aricini & Ardeates, quum de ambiguo agro diutiùs diſceptaſſent, G multis invicem cædibus feſſi, judicium rei ad populum Rom. deferrent. Qui quum ad cauſam orandam utrinque proceſſiſſent, Concilio populi à magiſtratibus dato, P. Scaptius, homo grandis natu, præfatus ſe non paſſurum populum Romanum in re decipi, docuit agrum, de quo ambigeretur, Coriolanorum finium, ſeque prima ferè ſtipendia faciente, Coriolis captis, populi Rom. eſſe factum. Mirari ſe, quonam more Ardeates & Aricini, cujus agri jus nunquam re Coriolana incolumi uſurpaſſent, eundem ſe à populo Rom. quem pro domino judicem fecerint, intercepturos ſperarent. Indignati conſules, palàm nullam Scaptio deliro ſeni fidem habendam cenſuerunt: non tantum populo Roman. intercepto agro rerum quæſitum iri, quantum infamiæ & dedecoris, ſi id ſoli ſibi addicerent; quandoquidem famæ ac fidei damna majora omninò eſſent, quàm in præſentia æſtimari poſſent. *Sabell. lib.4. & 5. Enn.3.*

## MATRIMONIUM CONTRAHENDO.

Romæ in virilis fortunæ templo, quod erat extra urbem ad Tiberis ripam, mulieres quæ dabantur nuptui, frequentes ventitabant: & corpore invelato, ſingula membra, ne quo morbo H vitioque affectæ forent, aut labe aliqua tenerentur, detegebant. *Alex. ab Alex. lib.1. c.33.*

Sergius Galba, pater ejus qui imperavit, appetitur à Livia Ocellina, dite admodùm fœmina; & pulchra poſita veſte, vitium corporis (erat enim gibber) ſecretò oſtendit. Qua animi generoſa ſimplicitate delectata mulier, nihil fœditate corporis offenſa, magis eum deinceps & adamavit & coluit. *Svet.*

## FIDES IN CONTRACTIBUS NON VOLUNTARIIS. UT IN AMISSÆ REI RESTITUTIONE.

Præcepit Dominus per Moyſen Iſraelitis: Tui fratris bovem aut pecus errans ſi videris, ad illum reducito. Aut ſi ille tibi non notus vel certè non vicinus eſt, id in domum tuam agito, & repetenti dato. *Deut.22.*

Savalociam poſtquam eripuiſſent Moſco Poloni, dedititiis fides ſervata fuit. Matronæ præterea aliquot, quæ Lubis captæ fuerant, quòd, ne pudicitia earum in tanta itineris longinquitate ac militum multitudine negligentiùs haberetur, verebatur, à Joanne Samoſcio condonatæ: mirantibuſque Moſcis, ac



A ac ultrò fatentibus, ſe ejus ætatis atque formæ matronas noſtris reddituros non fuiſſe, poſtquam cauſam, ob quam id Samoſcio fieret, intellexerunt, tum verò minùs etiam mirum videri debere dicebant, ſi in tanta morum diverſitate, fortuna quoque diſſimilis eſſet. *Rein. Heidenſt. lib.3. bell. Moſcovit.*

## ARCANI INVESTIGATIONE.

☞ *Ex Tit. Fidei in Hoſtem huc quædam accomodari poterunt.*

## * FIDES HÆRETICIS, ET PROFANIS HOMINIBUS SERVANDA.

## ERROR ADVERSARIORUM.

Docent Catholicæ Religionis adverſarii, Catholicorum dogma eſſe, hæreticis ſervandam non eſſe fidem; quod ſanè aperta eſt calumnia, cum nullus orthodoxus Doctor id doceat, ſed contrarium, idque voce, calamo, facto. Et nihilominùs cæco impetu feruntur, dum hac occaſione pacta cum Catholicis reſcindunt, & perfidiam ſua mendacio velant.

## VERA SENTENTIA.

Catholicorum omnium aſſertio eſt, in promiſſione valida, & obligandi vim habente, ſervandam eſſe hæreticis fidem. B Quamvis propter periculum ſubverſionis, eorumque improbitatem, & ſcandalum, non facilè contractus, conventiones, aut alia pacta cum iis ineunda, ſuadeantur in ſacris litteris. *Eccleſiaſt. c.13. Exod. 34. verſ.12. Deuter. 7. verſ.3. 2. Timoth. 3.* Quando tamen cum iiſdem pactus fueris, ſi præter hæreſin nihil obſtet, integrè & ſincerè fidem illis ſervabis, haud ſecùs quàm Catholicis: Neque enim ullo caſu mendacium eſt licitum, aut perjùrium, aut alieni juris violatio, cùm intrinſecè ſint mala, & ex toto genere illicita.

## EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Josue Princeps fidelis, poſtquam pactum & amicitiam iniiſſet cum Gabaonitis infidelibus, & Idololatris, quamvis eum decepiſſent, ſimulando ſe è longinqua regione venire, aſſumptis veſtimentis attritis, & panibus obduratis; tamen ita religiosè fidem eis datam obſervavit, ut non modò vitam, quam pacti erant, eis concederet, ſed inſuper contra hoſtes vicinos bello tueretur. *Joſue 9. & 10.* Quin cum populus eos jure occidi poſſe aſſererent, eò quòd dolo pactum extorſiſſent, adeòque fidem ſervandam plerique negarent, oppoſuerunt ſe principes & dixerunt: Juravimus eis in nomine Domini Dei Iſrael, & C idcircò non poſſumus eos contingere. Sed & Deus miraculo confirmavit, fidem iiſdem rectè ſervari: nam obſeſſi à vicinis Regibus, dum in vim pactorum, auxilium à Joſue flagitarent, promptè illis id impendit: Deus autem ſolem ſtare fecit, ne occumberet, ut tantò diutiùs Joſue ſe ulciſceretur de hoſtibus, *cap.10.*

### Poena Violantium Pacta Cum Infidelibus.

Sicut Deus Joſue memorabilem victoriam conceſſit propter ſervatam fidem: ita propter eamdem violatam iiſdem Gabaonitis, graviſſimè Saulem punivit; ut qui poſt C. & plures annos, multos ex eis interfecit, non obſtante pacto. Nec impunè: Nam *lib.2. Reg. cap.21.* facta eſt fames in diebus David annis tribus: conſuluitque David Dominum, qui dixit eam eveniſſe propter Saul & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas. Quo factum, ut vocatis Gabaonitis, dederit eis Rex viros ſeptem de filiis Saul, qui eos ſuſpenderunt in monte coram Domino, & propitiatus eſt Deus terræ poſt hæc.

Sedecias Rex ob violatum fœdus, quod cum Nabuchodonoſore Rege Babylonis iniverat, regni & oculorum amiſſione, D ac miſeranda ſuorum clade urbiſque vaſtatione punitus fuit.

Simeon & Levi filii Jacob, cum Sichemitis pacti erant de ineundis ultrò citròque matrimoniis, hac conditione, ut Sichemitæ omnes circumciderentur. Qua conditione per eos impleta, ſtatim urbem ingreſſi, omnes circumciſos contra pacta trucidarunt, prætextu ſtupri ab iiſdem cum Dina patrati. Sed quia in hac vindicta interceſſit perfidia, à patre audiverunt: Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia & maledictus furor eorum. *Geneſ.49.*

## EXEMPLA HISTORICA.

De Uladiſlao Rege Hungariæ nota eſt hiſtoria, quòd magnis contra Amurathem Turcarum Imp. potitus victoriis, cum inducias, quas ſolemniter pactus fuerat, & juramento (& ut quidam ſcribunt, interpoſita SS. Euchariſtia, eaque velut in obſidem data) firmaverat, perſuaſus à nonnullis Chriſtianis principibus, violaſſet, & bellum redintegraret, alea prælii mutata, poſtquam Amurathes inclamaſſet: Chriſte, ſi Deus es quem tui perhibent, vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta jurata me invadunt; in medios Turcas impetum faciens, equo excutitur, & capite truncatus, perfidiæ pœnas dedit. *Georg. Scheidius in ſuis ad Tarnovianam Diſ-* E *putationem notis.* Hanc hiſtoriam alibi ex aliis paulò aliter enarravimus.



## NULLAM INTERVENISSE PERFIDIAM, IN EXUSTIONE.

### Joan. Hus, Et Hieron. Pragensis, Constantiæ.

Qui inter adverſarios noſtræ Religionis ſunt imperitiores, & affectibus ſuis plus æquo ſervientes, ſemper in ore habent, Joanni Huſſo hæreſiarchæ violatam fuiſſe fidem Conſtantiæ; idque ſive à Patribus Concilii, ſive à Sigiſmundo Imperat. cujus ſalvo conductu fretus, eò venerat. Alii tamen inter illos, nullius perfidiæ meminerunt. Imò nec Huſſus ipſe, cum ad ſupplicium duceretur, quamvis multa liberrimè debaccharetur in Eccleſiam Romanam, de fide tamen ſibi violata ne verbum feciſſe legitur. Uti neque Hieronym. Pragenſis, qui paucis poſt diebus cremabatur, nunquam de perfidia Imperat. accuſavit. Legatur ea de re *Poggii Epiſtola*, quam de morte Hieronymi, ipſe illius ſpectator, ſcripſit. Quin & nobiles Bohemi poſtmodùm vocati ad Concil. Baſileenſe, quamvis impensè Huſſo faverent, ejuſque dogmata tuerentur, oblato ſalvo conductu, miſſa inſigni legatione comparuerunt. Denique Lutherus, F qui particularem ſcripſit articulum de Joanne Huſſo, à Leone X. damnatum, quamvis Huſſum laudet à vitæ ſanctitate, nihil tamen de fide violata admiſcet.

Igitur Joannes Hus ſalvum conductum à Sigiſmundo Imperat. acceperat veniendi ad Concilium, quo præſtabatur illi ſecuritas contrà injuſtam violentiam; neque enim aliud præſtatur Jure communi per ſalvum conductum, aut fidem publicam, ut conſtat ex Formulis ejuſdem, imò ea ipſa, qua Patres Concilii Conſtantienſis ſunt uſi. Secundò, idem Imperator ſub pœna capitis mandaverat Huſſo, ne inde abiret abſque licentia. At Huſſus contra hanc prohibitionem fuga elapſus eſt, ut etiam Laur. Numfredus Theol. Oxinien. Calviniſta fatetur, ſcribens contra Campian. & teſtatur Nauclerus *generat.*48. Cochleus *lib.2. hiſt. Huſſit. & alii.* Atque ex fuga retractus, nulla ratione voluit hæreſim abjurare. Leges autem Imperatoriæ pœnam capitis decernunt in hæreticos pertinaces, *l. Quicunque, Cod. de hæreticis.* Unde nihil hìc contra fidem publicam peccatum, ut quam ipſe fugiendo violavit: nihil etiam adversùs ſecuritatem contra injuſtam violentiam, quia juſtè crematus fuit, tanquam pertinax hæreticus. Hæreticum enim fuiſſe, ipſi Calvini- G ſtæ & Lutherani debent confiteri, attentis articulis doctrinæ illius à Concilio Conſtantienſi *art.*8. & apud Cochleum *lib. 1. hiſt. Huſſit.* prolatis. *Hieronymus* verò, poſtquam per ſchedulâ Eccleſiæ affixam, ſe paratum ſeſe expurgare ab errore proclamaſſet, dummodò ei ſalvus-conductus daretur; eum à Concilio obtinuit, & in eo comparuit, ſed errores ſuos firmare non potuit. Itaque inſtructus per deputatos Concilii, hæreſim ſuam abjuravit, ut conſtat *ſeſſ.*19. Concilii Conſtant. verùm mutata mox ſententia, fugit, & retractus à Joanne Duce Bavariæ, tanquam relapſus & pertinax, incarceratus, meritiſque ignibus adjudicatus fuit. *ſeſſ.* 21.

## * DE FIDE, SEU FIDELITATE APOPHTHEGMATA ETHNICORUM.

Anaxarchus, cum à Nicocreonte graviter torqueretur, ut conſcios proderet; poſt multa in tyrannum convitia, linguam ſibi ipſi dentibus abſcidit, commanducatam in tyranni faciem expuit, his priùs verbis emiſſis: Non erit hæc corporis pars tuæ ditionis. Voluit vir conſtantiſſimus ſibiipſi amputare lin- H guam, & perire penitùs, quàm non ſervare ſilentii fidem. *Laer. lib.9. c.10.*

Zenocleates accuſatus, quòd in perniciem Nearchi tyranni conjuraſſet, ductus ad tormenta, ut conjuratos proderet, indicavit eos, qui tyranno omnium amiciſſimi erant, neglectis conſciis: qui poſtquam pœnas dediſſent, interrogatus à tyranno, num quis prætereà occidendus ſupereſſet: Tu ſolus, inquit, Reipublicæ pernicies ſuperes; quibus dictis, dentibus linguam abſcidit, & in tyranni faciem expuit. Maluit enim mori, quàm indicare eos, qui occiſo tyranno, ſalvam cuperent eſſe Rempublicam. *Laert. lib.9. c.3.*

Eurycraticus percontanti, cur Ephori per ſingulos dies de conventis & contractibus jus dicerent? Ut inter hoſtes etiam, inquit, mutuam fidem inveniamus: Majore Reipublicæ diſcrimine pacta violantur in bellis: ſed illic quoque violantur ab his, qui domi conſuerint fallere. *Plut. in Lacon. Apoph.*

Alexander. Quidam cum rupem teneret expugnabilem, ut putabatur, ſemet Alexandro dedit: At Alexander non ſolùm ejus ditionis principem eſſe juſſit, verùm etiam addidit, dicens: